

Constitutiones

Reuerendissimi in Christo Patris, & Domini

D. SIMPLICII CAESARELLI

SACRI MONASTERII CASINENSIS

ABBATIS

Et eiusdem Dioecesis, ac Iurisdictionis

ORDINARII.

In Synodo Dioecesana promulgata.

AN. D. MDCXXVI.

VRB. VIII. PONT. MAX.



Imprimatur, Si videbitur Reuerendiss. Patri Magistro Sacri Palatij.

A. Episc. Hieracen. Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Antoninus Phœbæus Magist. & Socius Reuerendiss. P. Magist. Fr. Nicolai Rodulfij Sac. Pal. Ap. Mag. Ord. Præd.

Edi-

Simplicius Caffarellus Sacri Monasterij Casinensis humilis Abbas.
Ac eiusdem Diœcesis, & Iurisdictionis Ordinarius.

Dilectis filijs Archipresbyteris, Archidiaconis, Primicerijs, Canonicis, Abbatibus, Rectoribus, cæterisq. Curatis, & Clericis totius nostræ Diœcesis Casinensis, salutem.



MMENSA Diuinæ largitatis Bonitas, postquam nos, licèt indignos, Sanctæ Casinensis Ecclesiæ, ac totius Diœcesis gubernaculis, voluit per viscera misericordiæ suæ præsidere, eò etiam animum, omneq. studium nostrum dignata est sua inspiratione conuertère, quò Diœcesim nostræ curæ concreditam, à desuetudinibus quibusdam & abusibus, qui in Diuino cultu, & Sacramentorum administratione, siue etiam in vita, & morum honestate solent in dies, pro humanæ fragilitatis conditione, inolescere, veluti à maculis pro virili repurgemus, & oues recto tramite ad Ouile Christi à Luporum offensione securas perducere adnitamur. Pastorali ergò hac sollicitudine, quæ pretiosum Christi Sanguinem redolet, admoniti; quæcunque à Sacris Canonibus, & præsertim à Sacrosancto Concilio Tridentino, pro sui Officij munere adimplendo, Pastoribus sunt ordinata, debitæ executioni mandare volentes, ad ea quæ pro nostri Officij cura prætermitti non oportet, animum conuertimus. In quibus potissimùm illa est, veterum Canonum Iure, ac Tridentini Concilij Decreto constituta, Diœcesanæ Synodi conuocatio. Cùm igitur probè nouerimus, ad Cleri disciplinam non conseruandam solùm, verùm etiam augendam, ex Synodalium rerum tractatione non minimū ferri adiumenti, illam vlteriùs non iudicauimus differendam. His itaque nostris litteris, ipsam Synodum ad diem primam Octobris proximè sequentis, Deo adiuuante, celebrandam indicimus, atque annuntiamus. Vobis supradictis mandantes sub pœna tri-

ginta aureorum, pijs vsibus applicandorum, & in subsidium excommunicationis, vt omnes & singuli vestrum mundis superpelliceis induti, præfata die in dicta Ecclesia nostra Casinensi adesse curetis, illinc absque nostra licentia non discessuri. Eos autem, quibus cura imminet Animarum, durante hoc absentiæ tempore, vt alteri probo Sacerdoti eorum Ecclesias commendatas relinquant, admonemus. Ipsi item, & Ecclesiarum Rectores Populos faciant monitos, vt si quæ, ad Diuini cultus augmentum, reformanda, corrigenda, instauranda, vel reficienda occurrerint, vobis in scriptis deferant, nobis fideliter referenda, vt de oportuno remedio prouidere valeamus. Et quia Synodalis hæc actio à nobis indicta, præcipuum charitatis studium ab ijs postulare videtur, quibus in Christo ministramus, cùm per illam gressus illorum in viam salutis dirigantur: Ideò præcipimus, vt post indictæ huius Synodi promulgationem, in omnibus Vrbis, & Diœcesis nostræ Parochialibus Ecclesijs, per singulas hebdomadas, quintaquaque feria, quoad ipsa Synodus absoluta, & dimissa erit, missa solemnis de Spiritu sancto cantetur, aut si aliter officij ratio postulauerit, saltem in eadem de ipso fiat collecta, Dominicis verò diebus, post Completorium Litaniæ recitentur, precesq. ad Deum pro felici Synodalium Tractationum successu, fundantur, vt omnia ad Dei gloriam, nostram, eorumq. qui nostræ Curæ commissi sunt, salutem, diligenter, sanctèq. peragamus. Vt autem hæc innotescant vniuersis, mandamus, præsentes litteras nostra manu subscriptas, & nostro sigillo munitas, de vno ad alium locum per dictam nostram Diœcesim transferri, ita vt, omni mora postposita, qui primùm receperit, viciniori transmittat. Dat. Neap. die 11. Sept. 1625.

Simplicius Abbas Casinensis. *Locus † Sigilli.*

D. Honorius à Caua Decanus, & Cancellarius Ordinarius.

Fuerunt per Cursores nostræ Curiæ in Valuis Collegiatæ Ecclesiæ S. Germani affixæ, & per loca nostræ Diœcesis promulgatæ. Die &c. vt in originali.

Edi-

Simplicius Caffarellus, &c.

Dilectis, &c.

CVM nullis nostris existentibus meritis, sed sola sua benignitate, Dei Omnipotentis Gratia, vt Sanctæ Casinensi Ecclesiæ, ac ipsius Diœcesi Pastorali cura præsideremus, nos vocasset, nec viribus ipsis nostris satis fideremus, primùm super ipsum Dominum curam, ac cogitatus nostros iactauimus, vt ab ipso nutriremur, sapientia, ac consilio instrueremur, sanctæ firmitatis robore solidaremur: Tum animo repetentes maiores nostros Patres orthodoxos, qui licet sapientia, ac sanctitate admirabili essent præditi, in simili tamen rerum discrimine, ac necessitate, ad Synodales Conuentus, tanquam ad opportunum, & singulare remedium confugerunt: Nos quoque, vt præsertim Sacrosancti Concilij Tridentini super hoc iussis obtemperaremus, ad eundem Conuentum conuocandum, animum adiecimus. Quamobrem publico Edicto mandauimus, vt omnes ad primam diem Octobris proximè sequentis, ad dictam nostram Casinensem Ecclesiam, vt Diœcesana Synodus celebraretur, conueniretis. Gauisi verò sumus in Domino, & ad spiritualem lætitiam copiosius incitati, quod ad illam adeò alacri animo, ac cælesti iubilo perfusi, accingeremini: Verùm quia nos, vtpotè homines infirmitate circundati, aduersa valetudine retardamur, & alijs grauibus nihilominùs negotijs, quæ differri vlteriùs non possunt, adhùc distinemur, indictæ Synodi celebrationem pro nunc duximus suspendendam. Nè tamen insidietur pijs nostris actionibus humani Generis hostis, eam his litteris nostris ad aliam diem, arbitratu nostro statuendam, & alijs litte-

ris edicendam, differimus, & prorogamus, in qua, spem certam in Domino habemus, forè, vt cum illic in nomine ipsius erimus congregati, ipse Dominus in medio nostrùm sit adfuturus, & spiritu oris sui ad optatum bonum nos ducturus. Interim non desistamus ipsum bonorum omnium largitorem deprecari, vt immissæ in animum nostrum piæ, sanctæq. cogitationi, sanctum superaddat affectum, & qui operatus est in nobis velle, operetur etiam, & perficere pro bona voluntate. In quorum fidem has nostras præsentes litteras, nostra manu subscriptas, nostro sigillo, & Cancellarij nostri subscriptione munitas, publici Edicti volumus vim habere. Datum Neapoli, &c.

Simplicius Abbas Casinensis. *Locus † Sigilli.*

D. Honorius à Caua Decanus, & Cancellarius Ordinarius

Fuerunt per Cursores nostræ Curiæ in Valuis Collegiatæ Ecclesiæ S.Germani affixa, &c.

Edi-

Simplicius Caffarellus Abbas, &c.

Dilectis, &c.



TTINGIT à fine vsque ad finem fortiter Diuina Sapientia, atque eadem quae multoties homines proponunt bona, aliter ipsa ad suam ipsorum vtilitatem suauiter disponit. Sanè per nostrum Edictum aliàs vobis praeceperamus, vt ad primam diem Octobris praecedentis anni 1625. in nostra Casinensi Ecclesia conueniretis, vt non solùm obedientiam, praestari solitam, praestaretis: Sed vt à nobis in Spiritu Dei congregatis Synodus Diœcesana, iuxta Sacri Concilij Tridentini praescriptum, celebraretur: Sed non ita diuini consilij ineuitabilis ordo disposuerat, vndè varijs vrgentibus occupationibus impediti, alio Edicto illud reuocare, dictaq. Synodi celebrationem ad aliam diem commodiùs faciendam coacti fuimus prorogare. Nunc autem, ne tam sanctum, & laudabile opus vlteriùs differatur, sub ijsdem censuris, & pœnis in alio Edicto appositis, praecipimus, vt omnes, ac singuli personaliter ad diem vigesimum primum sequentis mensis Martij in dicta nostra Ecclesia Casinensi adesse curent, tum ad solitam obedientiam praestandam, tum ad Synodum celebrandam; Illinc verò nullus audeat, nisi peracta Synodi celebratione, sine nostra speciali licentia discedere. Nullus item per Procuratorem compareat, nisi causa expressè assignata, & à nobis cognita, & probata. Exceptis tamen his, qui à Parochis, & Curatis in vniuscuiusque Parochia pro Animarum cura substituentur: Qui tamen per Procuratorem comparere teneantur. Intermedio autem hoc tempore, praecipimus easdem preces ad Deū

fundendas in Ecclesiis esse, quas in alio Edicto praeceperamus, tum pro felici Synodalis Conuentus successu, tum etiam vt Deus benedictus dignetur nos consolari in tribulationibus nostris, vt & nos possimus eos, qui in spirituali aliqua sunt pressura consolari. Datum Neapoli, die 24. Februarij 1626.

Simplicius Abbas Casinensis. *Locus † Sigilli.*

D. Honor. à Caua Dec. & Canc.

ORA-

ORATIO.

In Prima Synodali Sessione recitata in nostra Cathedrali Ecclesia Casinensi ipsodie festo S.P.N. Benedicti, Casinensis Diœcesis Patroni, ac Tutelaris.



FELIX profectò fuit semper, qua vos ad Sanctissimi nostri Patriarchæ venerandas exuuias contulistis, dies. Aurora siquidem Christianæ Religionis, his pietatis actibus tanquam nitidissimo splendore collucet: Lætus item, quo debitam eius successori Præsuli Reuerendissimo obedientiam præstaretis, accessus: Nunquam tamen, quàm hodie lætior, nunquam candidior, Candidissimi Sacerdotes, affulsit. Quid enim, si ex acuminibus contemplemur, vester iste tàm alacer, hilarisq. consessus prænunciat, quàm lætitiam, qua maximè ex Vigilantissimi Pastoris nostri reditu, atque ex indicto, & inauspicato per eius sedulam Pastoralem curâ Synodali Diœcesano Conuentu estis perfusi, maius deindè gaudium, atque cum immortali gloria acriorem in Clericali disciplinâ viuendi ardorem, vehementiùs successurum? Et auspicato quidem sapientissimi Pastoris prouida sollicitudo huc conuocandũ suum gregem, ad disciplinam, moresq. instaurandos, ad hodiernam præfixit solemnitatem. Dum enim festiuitatem eius, cui benedictionem omnium gentium dedit Deus, dum Catholicam disciplinam ferè collapsam restaurauit, anniuersaria recolimus celebritate, æquum etiam erat, vt, si Templum illi hoc materiale ornatè, ac decenter instruitur, Templum etiam viuum, in quo per suam gratiam habitare beneplacitum est Deo, ab ijs, si quas hucusque pro humanæ fragilitatis conditione contraxit, maculis emundaretur, atque spiritualibus institutis veluti lectissimis peristromatibus exornaretur. Quid ergò in tam nobili consessu primùm, quid tum vestris proponam oculis contemplandum? Non iniquum profectò erit, si triumphalem priùs huius Cœnobitarũ Patriarchæ, qui eò magnitudinis, & sanctitatis peruenit, vt omnium Iustorum spiritu plenus prædicari mereretur, pompam, grata saltem aliqua commemoratione veneremur: Tum verò Victorijs ijs, ac palmis, quibus præstantissima vobis in disciplinæ Ecclesiasticæ instauratione, insignia conficietis, lætas, faustasq. contexere nitamur acclamationes. Neque enim verendum mihi erit, ne, cùm me tenuem audiueritis Oratorem, inter vestros exultantes clamores exilis meæ vocis perstrepat tinnitus, cum mihi vestris ornamentis instructo, liceat esse superbissimo.

Age ergò Sacerdotum Cohors veneranda, dum per amœnos cele-

stium

ftium plagarū tractus Stellas efflorefcentes conspexiftis, dum ex Oceano, vt cum Poetis loquar, Solem vidiftis nitidiffimè gemmare, an non ipfis beatarum Mentium Choris intereffe, earumq. afpectu frui fomniaftis? Si tamen atrę noctis iniuria limpidiffimę facis lumen obruitur, res omnes fua quoque ornamenta], ac feftos deponere colores afpicimus, extinctoq. lumini, attrato quafi amictu, parentare. At vbi iterum luminis nobiliffimæ efflorefcunt opes, & montium cacumina, & nubium rariffimæ quæque, Solis depictæ radijs purpurafcunt, videas omnia ad reuiuifcentis Aftri commodum ita exultare, & geftire, vt ipfa quoque vnà cum lumine vitam recepiffe, atque è tenebris iterum in lucem erupiffe fatearis.

Non aliter Magnus ille Apocalypticus Ioannes, Ecclefiæ fundatæ primordia propofuit intuenda. Horribili aliquando tubæ fonitu canentem Angelum audierat, percuffam indè tertiam partem Solis, hinc tertiam partem Stellarum denfis obductam tenebris, ibi tertiam Lunæ partem atra quafi nube circumuolutam, vt ex hoc tenebræ fierent, quales folent medio hyeme, nubilo cælo, in conticinio noctis; atque in tenebris iftis fedentes; in vmbra mortis habitare videremur, alibi de aperto puteo abiffi horribilem vidit fumum afcendiffe. Et quid aliud in horridis illis tenebris cæcutientes, expectabamus, quàm vt diceretur nobis, *Ve, ve, habitantibus in Terra*? Nox tamen ifta vertenda erat in diem, & poft tenebras lux fuerat expectanda. Vidiffe ergò fe ait Cælum nouum, & Terram nouam, vt panderetur cæleftis Omnipotētis Dei domus, vndè Ciuitas fancta Ierufalem noua defcenderet, parata, ficut fponfa ornata viro fuo.

Hoc ipfum, Sanctiffimi noftri Patriarchę temporibus, huic Diœcefi contigiffe, quis inficiatur? Quot vigebant hic ignorantiæ tenebræ, cum tantopere fuccreuiffet hic humana malitia, quæ eo peruenerat, vt fepofito cultu, qui rerum omnium Creatori debebatur, aras dæmonibus conftruxiffet? O fufpirijs, & eiulatibus potiùs, quàm verbis deplorandam conditionem. Iure ergò de hac dici poterat, quod ad eam defcendiffet Diabolus, habens iram magnam. Verùm non paffus eft mitiffimus ille Deus, illos, quos ad veri Ifraelitici Ordinis confortium deftinauerat, in tenebris illis ambulare, nifi lux magna illis exoriretur. Habitantibus ergò in vmbræ mortis regione, lux orta eft fulgentiffima, vt Chriftiana religio hic penè collapfa reftauraretur, vt qualis fuit Iudaico Populo Moyfes, Gentili Paulus, talis in Religionis Chriftianæ inftauratione, & incremento fuerit Benedictus.

Vidiftis perfæpè Saphiros, Iafpides, lapides pretiofos, auro hinc indè intextos? lucidiffimis Solis radijs repercuffos, quā bellè cū obiecto Sole, recepto lumine, blandè colluderent, vt placidè fefe velut in vndas infinuantium radiorū diffunderent, dum iniectum à Sole lumen, longè, latèq. remitterent nitidiorem, nonne pellucidas iaculando fcin-

tillas

tillas, ita exultare, ac gestire videbantur, vt blanda quadam radiorum lasciuia vobis spectatoribus adularentur?

Tales erant Sacerdotes, talis Clerus à Sanctissimo hoc Patriarcha tunc institutus. Accesserat huc ipse, Solis iustitiæ claritate irradiatus, eadem in Clerum translucebat, vt Iure optimo, mundano non indigeret Diœcesis hæc Sole, neque Luna, vt lucerent in ea, quia claritas Dei illuminabat illam; Iure item optimo factæ erant viæ ipsius aurū mundum, simile vitro mundo.

Vides ergò Sacerdotum Cohors veneranda, quali sanctitate perspicua, primæua fuerit vestra ad religionem Christianam instauratio, vsic quid maioribus vestris reddere, quid posteris ad manus tradere et debeatis, diū vobis ob oculos versetur; Tale enim à vobis posteritas lumen expectat, quale à maioribus vestris recepistis. Vos estis aurum illud mundum, vos vitrum pellucidum, vos firmissimæ Ciuitatis plateæ, fundatæ super lapidem pretiosum, angularem, positum in fundamentis Sion, qui præter Christum, & Petrum, Petriq. successorem, Diœcesanis huius gregis Pastor est vigilantissimus. Christus quidem Dominus lapis est ille primarius, non abnuo, de quo Paulus ait, *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus;* Adsunt, & alij lapides pretiosi, probati, angulares, in Christi fundamento fundati, *Ecce ego*, inquit Isaias, *ponam in fundamentis Sion lapidem probatum, pretiosum, angularem, in fundamento fundatum.* Hæc igitur fuit huius nostræ Diœcesis structura. Fundamentum primum Christus ipse fuit, cui innixus, tanquam super dilectum, ille qui omnium iustorum spiritu plenus, vniuersas amplæ huius Diœcesis fundauit, rexitq. Ecclesias, & quæ in toto Occidente erant in disciplina Ecclesiastica collapsæ, restaurauit, Ipse ijs temporibus talis fuit, qualem nunc sui regiminis constituit Successorem. Ipse ergò est, in cuius firmitate totum hoc fundatur ædificium, quod vtique si corruit, quid aliud restat nobis, quàm vt & nos cum illo corruamus?

Verùm obstupescite sequentia Isaiæ verba. Lapidem offensionis, petram scandali. Deus bone. Paradoxo simile videtur. Lapis pretiosus angularis, lapis offensionis, & petra scandali? Sed ita profectò. Qui enim ceciderit super lapidem hunc, confringetur, super quem autem ceciderit, conteret eum. Ab hoc enim lapide vita vobis, ac vestro gregi, vel exitium imminet; huius namq. ædificatio Templi, in petræ huius soliditate consistit, cuius sacratam firmitatem, Deo ædificante, constructam, nimis impia vult præsumptione violare, quisquis eius potestati tentat resistere.

Ecce ad ipsius firmitatem, ad hunc Sanctum Domini Montem ascendistis hodie, vt Populo pacem, post susceptam à Deo per manus vestri Legislatoris legem, euangelizaretis. Hic docebit vos hodie Dominus

vias suas, quia hinc tanquam de Monte Sion exibit lex, & verbum Domini de hac pacis visione. Hic Mons est, in quo non solùm beneplacitum est Deo habitare in eo, sed quem elegit Dominus tāquam Montem Sion, vndè tam eximia lex prodiret. Hic enim beatæ vitæ documēta ab eodem Sanctissimo Monachorum Patriarcha Benedicto cōscripta, tradita sunt, Cœnobitcolis dicam potiùs, an terrenis Cœlicolis obseruanda, quibus non Monasticus solùm fuit Ordo propagatus, sed & tota penè Christiana religio, hic tunc ferè collapsa, in pristinam fuit dignitatem restituta. Huc etiam, parentum ferè nostrorum memoria, almum illum Clericorum Regulariū Ordinem Societatis Iesu, cum vellet instituere, diuina oracula suscepturus, accessit vir ille, summa veneratione dignus, nuper in Sanctorum numerum relatus Ignatius, vbi diuinarum legum fluenta, ab vberrimo diuinæ sapientiæ exhausit fonte.

Et vos ergò, cum confractas videatis tabulas legis, *omnes enim declinauerunt, simulq. inutiles facti sunt*. Psalmista ait; præcidite vobis duas tabulas lapideas, vt in eis, in Monte hoc, scribat Deus lingua pastoris vestri. Ipse enim est calamus Scribæ illius æterni, velociter scribentis, ità vt lex in cordibus vestris inscripta, tenaciter infixa insideat, penitùsq. inhæreat.

Nihil profectò vestris auribus, ac linguis dulcius accidet, quàm palmarum vestrarum commemoratio, Sapiente enim teste, *Vir obediens loquetur victorias*. Quod quidem, quamuis plenè secularis sapientia videatur ignorasse, non potuit tamen obedientiam militaris exercitij basim esse, & ad victoriam plurimum conferre, non arbitrari. Hanc disciplinam vocabant, hanc infirmitatis custodiam, hanc victoriæ largitricem; vt illam multi voluerint filiorum supplicio stabilire.

Videte quàm multiplicem victoriam vir obediens consequatur. Primò sui ipsius, quod pulcherrimum est, extitit triumphator. *Dum enim alienæ voci*, ait Gregorius, *humiliter subdimur, nosmetipsos iucundè superamus*.

At verò *Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit*

Mœnia, nec virtus altius ire potest.

Hominum præterea insultus, dæmonis rabiem vicisse ludus sit, ad illud; quod nunquam satis admirati sumus, animum conuertamus. Elementorum; cæli, & naturæ ipsius vires videte obedientis viri vocibus exanimatas. Nam vt factum Ezechiæ silentio prætéream, qui iussit vmbram horologij Achaz decem gradibus retrorsum reuerti, & reduxit eam Deus, quia quod sibi placitum erat semper Rex fuerat operatus; quod idem de Iosuè sacrum narrat elogium, contéplemur. Hic enim præcepta Dei, & Moysis obedienter sequens, naturæ ipsi vim faciens, Soli, qui per immensa cæli spatia diuinis tantùm legibus circumscriptus anteà vagabatur, imperauit: Sol, inquit, *contra Gabaone*

ne mouearis, & stetit Sol in medio cæli, vt non naturæ solùm, verùm diuinæ etiam leges, obediente Deo voci hominis, viderentur abrogatæ.

Quid ergò ad vestram exornandam gloriam excogitari potest illustriùs, si Deo, qui per Pastorem vestrum præcipit, promptum exhibueritis auditum? Iam intelligitis, quicquid fulgoris in cælestibus corporibus emicat, vobis collatum, dici posse tenebricosum, cum vobis liceat de nitentibus Solis radijs per obedientiam triumphare. Iam quis admiretur ampliùs domitorem illud Monstrorum Herculem, cum ipse Astrorum Princeps obedientibus exhibeat famulatum? Viuat ergò in animis vestris, Sacerdotes optimi, virtutis huius magnitudo, etenim, si quid videò, iam præclara vobis trophæa constitui, iam noua victoriarum vestrarum erigi ornamenta conspicio. O beatos labores, per quos fęlicitatis semina iaciuntur. Agite, si spiritus, si sanguis esset effundendus, neque enim vitæ, & cruoris tam auari esse debetis, cum ob eam mortem vitam sitis victuri immortalem. Iam videre mihi videor, vos ad cælestis Zephiri auram conuersos, vt proindè cum ad cælestia pascua gregem vestrum eritis ducturi, non secùs ac Cicni, cantùs dulciores sitis edituri.

Illuminare ergò Pastor fidissime, huius nostræ Ierusalem fundamentum, Leua in circuitu oculos tuos, & vide, Omnes isti congregati sunt, & ad diuina documenta, & præcepta exhaurienda, venerunt tibi. Filij enim tui sunt; de longè veniunt; & quasi de latere tuo surgunt, vt propterea tibi Pastori exhibeant animi subiectionem. Tu cælestis doctrinæ radios, per diuina oracula acceptos, ad illos repercutias, sic vocem illã de throno audient, *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*, sic Omnes Populus eius erimus, in æterna tabernacula ad ipsum cum gaudio transferendi.

Dixi.



SYNODI

SYNODI CASINENSIS

SESSIO PRIMA.

De fide, eiusq. professione, Doctrina, atque diuino cultu.

In Cathedrali Casinensi celebrata die 21. mensis Martij.

In Nomine Sanctissimæ Trinitatis
Patris, & Filij, & Spiritussancti. Amen.

SIMPLICIVS CAFFARELLVS
Sacri Monasterij Casinensis humilis Abbas, Ciuitatis S. Germani, & Castrorum, aliarumq. Terrarum, & locorum Dominus, & Ordinarius.

VNIVERSO CLERO, ET POPVLO NOBIS SVBIECTO, *salutem in Domino, qui est omnium vera salus.*



OLLICITVDINEM Ecclesiarum Diœcesis nobis cõmissæ, iuxta Apostolum circũferẽtes, Diuinæ erga nos gratiæ memores esse debemus, qui nos per dignationis suæ misericordiã, ob hoc ad fastigium istud prouexit, vt mandatis suis, & Sacrorum Conciliorũ Sanctionibus inhærentes, in quadam Sacerdotum nobis commissorũ specula constituti, prohibeamus illicita, & sequenda doceamus. Pro Pastoralis ergò officij consideratione, non est nobis dissimulare, nõ est tacere liberum; quia maior nobis, cunctis nostræ Diœcesis, Sacerdo-

2.Cor.11.

Marcel.1.epist. ad Anthio.

Siric. ad Himer. Tarrac.

do-

dotibus Zelus incubit; Portamus enim onera omniũ, qui grauãtur, cũ nemine infirmari, audiamus, quin, & nos etiã infirmemur; nemine scãdalizari, quin, & nos vramur. Hanc enim obseruãtiã omnibus quidem Sacerdotibus congruam, sed nobis permaximè necessariã esse agnoscimus. Verùm respicientes ad exiguitatis nostrę tenuitatẽ, & ad impositi muneris magnitudinem, Propheticum illud possumus Iure optimo proclamare: *Domine audiui auditionem tuam, & timui, consideraui opera tua, & expaui*: Illud enim maximè pauendum fuit, quòd fragilibus nobis tam grauis sit labor subeundus, cum Dignitas hæc, & sublimitas non merentibus sit collata.

Ex Paulo ibid.

Abac. 3.

Subleuat tamen animum nostrum Dei Omnipotentis gratia; ipse enim vt multùm à nobis diligeretur, multa priùs dimisit, multa deindè cõmisit, & vt eandem gratiam suam faceret mirabilem, in nos munera sua contulit, in quibus meritorum suffragia non inuenit. Quamuis ergò nos ad explendam nostri Officij seruitutem, infirmi inueniamur, & ipsius nostræ conditionis fragilitate tardemur: non deficimus tamen; tum quia non de nobis, sed de illo præsumimus, qui operatur in omnibus, & velle, & perficere; tum etiam quia Pastorum Princeps Christus, ita nobis suarum ouium curam delegauit, vt tamen dilecti sui Gregis custodiam non dereliquerit.

S. Leo ser. de Assumpt.

Philip. 2.

Cum itaque Pastores moneat Apostolus vigilare, spretisq. sæculi ærumnis, in omnibus laborare, vt opus facientes Euangelistæ, suum impleant ministerium; tanto clasſico excitati, post totius Cleri, & Populi nobis subiecti Visitationem, Diœcesanam Synodum duximus conuo-

2. Thim. 4.

uocandam, prout iam conuocauimus, in qua ſperamus fore, vt omnes ſanam doctrinam ſuſtinentes, ad ſua deſideria ſenſus magiſtros non coaceruent, ſed ab inanibus auerſi ad veritatem conuertantur: Etenim langeſcentibus præ humanæ fragilitatis conditione Chriſti membris, vulnera non ceſſat quotidie in illa domeſticus hoſtis infligere, vt non ſolùm in via Domini non valeant progredi, ſed multi gradiendi vlteriùs difficultate perterriti, hærere incipiant, & ab illa retrogredi. Propter quod ſingularis à nobis facienda, & exhibenda eſt medicina, ne ſi malum, quod in externis tantùm eſt partibus, latiùs ſerpat, pars etiã deficiat ſincera. Illud ergo eſt nobis in primis curandum, vt ea adhibeantur remedia, quorum vis ad omnes ægrotas partes curandas longè lateq. permeet; vt Religio, ſi priùs aliquantulum oppreſſa iacebat, caput attollere incipiat, & à medicaminibus recreata reuiuiſcat. Ibidem

Porrò, quia boni Clericorum mores propugnacula ſunt Chriſtianæ Reipublicæ, cum aduerſus hoſtium improbitatem morum integritate, virtutumq. ſtudio ſepta potiùs debeat eſſe, quàm armis; Ideo omnis cura in ipſorum reformatione, quæ cuſtos eſt diſciplinæ, eſt conſumenda. Sacerdotes enim Eccleſiæ moderatores in clariſsima luce verſantur, vt alijs ad virtutes ſequendas, tanquam faces ſint proponendi. Ipſi enim ſunt *Genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, Populus acquiſitionis*. Ipſi ſunt Dei quoddam exemplar in Terris, vt proinde non niſi cæleſtis eſſe debeat illorum vita, qui ceteris omnibus antecellunt, vt quorum dignitas 1. Petr. 2.

proximè ad diuinum numen accedit, eorundem vita diuina videatur esse, cæterisq. sit norma viuendi. Sic enim tenebricosa Populorum vitia, facilè corriguntur, & Virtutum splendor assulget.

Hortamur ergo ipsos Populi magistros Sacerdotes, vt diligentiori in posterum cura Populum sibi commissum pascere studeant verbo, & exemplo. Illud præ oculis habentes, quod aptissimum est à peccatis retrahere: Ibi nempe desiderium esse figendum, vbi præmium quod offertur, est æternum. Doceant insuper illum ad Synodalia Decreta sincerè attendere. Sic enim de potestate Diaboli erutus, & Dei Populus factus, nouã

Leo Ser. 1. de Nat.

se esse in Christo creaturam intelliget, vt quæ in hac nostra Synodo nouiter sunt sancita, firmiter retinens, ad instabilem non redeat vetustatem; & qui Deo addiuuante, manum ad diuinum aratrum, per nostrorum etiam mandatorum obseruantiam immittunt, ad hoc attendant, quod ferunt, non ad id respiciant, quod relinquunt; Sic enim deponentes veterem hominem

Ibidem

cum actibus suis, & adepti participationem generationis Christi, carnis renuntiabunt operibus.

Hortamur insuper & Clerum, & Populum nobis subiectum, vt renouati in nouitate vitæ, non in iddem recidant, vnde surrexerunt; & qui pro humana infirmitate in aliquibus adhuc languoribus iacent, sanari instanter studeant, & leuari: Sic enim expurgantes vetus

1. Cho. 5.

fermentum, erunt noua conspersio, & mandatis his nostris, immò Christi, qui per nos præcipit, inhærentes, à fluidis ad solida transferentur; vt statutis super Christi petram pedibus

dibus

dibus, & directis à Domino gressibus, immittatur in os omnium canticum nouum, carmen Deo nostro. In hoc autem pio nostro desiderio non desistimus omnes obsecrare, per viscera misericordiæ Dei nostri, vt nos precibus, & votis apud eundem Patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis, iuuare satagant; vt in hac morum reformatione, quam tanto animi affectu & charitate intendimus, ac Synodalibus Decretis exequutioni mandare curamus, spiritus gratiæ in nobis maneat, & immissa à Deo in animo nostro perfecta cogitatio non fluctuet, sed præstet in commune nobis omnibus pacis bonum, qui omnibus vnanimitatis studium infudit, & qui ad ostendendas diuitias gratiæ suæ, voluit nos huius Diœcesis gubernaculis præsidere; sufficientes tanto oneri vires tribuere non dedignetur. 2. Cho. 1.

AT quoniam nouimus authorem, incētoremq. peccati, primùm superbum, vt caderet; deinde inuidum, vt noceret, propositum nobis in hac Synodo per Spiritus sancti gratiam bonum interturbare non destiturum, spinas iniiciendo, & scandala, quibus difficilis ad tranquillitatem acquirendam via, & ad æternam felicitatem comparandam senticosa, quam ipse propriæ excellentiæ appetitu deperdidit; Ideo, vt viam hanc ab ijs, quæ ad optatum finem consequendum possent impedire, purgemus: Primò Sacerdotes hortamur, eosque omnes, qui huic Synodo interesse cōtigerit, vt non patiantur in se ipsis Prælationis amorem exoriri, nec cæteris eminendi cupiditatem, quæ nunc prolem habet, nunc parentem superbiam; Semper tamen ambientium

Quod nulli insedendo in Synodo præiudicetur. Leo ser. 4.

Idem Ser. 12.

Bernar. Ser. 3. de confid. crucem comitatur, cum nihil illa acerbius cruciet, nihil molestiùs inquietet.

Sess. 1. cap. 1. Secundò, inhærendo Sacri Concilij Tridentini Decreto, Statuimus, quod si contigerit fortè, aliquem in hac Synodo, suo debito loco non incedere, vel sedere, aut quemlibet alium de Iure, vel de more actum facere; nulli propterea Ius acquisitum forè intelligatur, nulliq. præiudicatum, sed omnia in eodem statu permanere in quo ante hanc Synodum reperiebantur. Sic enim omnes vno ore glorificantes Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi, feliciùs ad optatam morum reformationem, cum quiete perueniemus.

De præsentibus, aliarumq. Casinensium Synodorum Constitutionibus.
Cap. I.

NE verò, dum commissi nobis Gregis Saluti simul, & quieti consulere studemus, aliquid, vndè conscientiarum tranquillitas perturbari posset, prætermissum esse videatur, statuimus, vt infrà prouidere. Multæ enim Constitutiones Synodales non facile ad manus haberi possunt, præsertim ex antiquioribus, quippè nunquam in vnum Collectæ: vt sunt vz.

Synodus Casinensis celebrata anno Dñi 1286. *à D. Thoma Abb. sub Honorio IV.*

Alia celebrata Anno Dom. 1329. *à Raimundo Abbate, sub Ioanne XXII.*

Alia Anno Dom. 1372. *à D. Andrea Abb. sub Gregorio XI.*

Alia Anno 1377. *à D. Petro de Tartaris, sub Vrb. VI.*

Alia

Alia Anno 1506. *à D. Eusebio à Mutina Abbate, & totius Congregationis Casinensis Præside, sub Iulio II.*

Alia Anno 1509. *à D. Zacharia de Padua, sub eodem Pont.*

Alia Anno 1530. *à D. Chrysostomo à Neap. sub Clemente VII.*

A D. Ignatio à Neap. 1564. *sub Pio IV.*

A D. Hieronymo à Cosentia 1586. *sub Gregorio XIII.*

A D. Desiderio à Brixia Annis 1580. *&* 1583.

A D. Aegidio à Mathelica 1588. *sub Sixto V.*

A D. Hieronymo à Perusio, bis. Ann. 1591. *sub Gregorio XIV. &* 1594. *sub Clemente VIII.*

D. Ambrosio à Puppio. 1601. *sub eod. Pont.*

D. Gregorio à Castro Aretino. 1607. *sub Paulo V.*

Et tandem vltima celebrata Anno Dom. 1620. *à D. Paulo à Parma, sub eodem Pontifice.*

Cum item multa nouiter sint stabilienda; Quæ enim de nouo emergunt, noua indigent prouisione, præsertim cum multa à Summis Pontificibus sint nouiter sancita, multa salubriter tractu temporis renouata, & in meliùs ordinata: Alma enim Mater Ecclesia plerũque nonnulla rationabiliter ordinat, & consultè, quæ suadente subiectorum vtilitate, post modum consultius, & rationabilius reuocat, in meliùsque commutat. Cumq. hæc ita sint, ideò duximus hanc Synodum nunc nouiter congregare, & in vnum, quæ visa sunt præcipienda, redigere; & multa iuxta aliàs Summorum Pontificum bullas, nouiter sancita proponere. Nostris Subditis Declarantes, omnes, & quascunque Constitutiones aliàs editas,

Cap. Al. Mater de Sent. Excõmun. in 6.

cum Censuris, & pęnis in illis appositis, prętèr ea, quæ hic inseruntur, easq. quas recolendæ memoriæ Hieronymus à Perusio Prædecessor noster, in Synodo typis excussa, mandauit, abrogatas esse; Ita vt in posterum Clerus, Populusq. nobis subiectus, iuxta has duas tantùm Synodos debeat iudicari. Omnes igitur pro nostræ sollicitudinis officio admonemus, vt quisque pro sui muneris ratione, ijs præcipuè studeat, quæ pro Diuini Cultus incremento, Animarumq. Salute, ibi sunt constituta, diligenti exequutione inuiolatè obseruet.

Dec. 1. Harũ Constitutionũ exemplar, in Sacristijs Collegiatarum appendatur.

Act. Ecc. Med. part. 2. Synod. Diœc. 2. Decret. 42.

NE quis verò in harum Constitutionum Synodalium obseruatione, putet se excusationes, in peccatis excusare posse, volumus: vt in singulis Collegiatis, & Parochialibus Ecclesijs huius nostræ Diœcesis, exemplar aliquod in Sacristia, vel in alio decenti loco perpetùo asseruetur; Singulis item Clericis in Sacris Ordinibus constitutis, vel beneficium Ecclesiasticum habentibus, præcipimus, vt aliud exemplar quisque apud se habeat, illiq. continuò studeat, vt tàm se ipsos, quàm Populum, cui debent prælucere, posśint de suo munere commonefacere. Quod Decretum sub pęna vnius vnciæ, districtè præcipimus obseruari debere, & post duos menses, à die qua exemplar in Matricis Ecclesiæ S. Germani Valuis erit affixum, obligare.

Dec. 2. Ad litteram sũt obseruãdæ, & in dubijs ad Prælatum recurrendum.

MAndamus item, vt omnes infrascriptas Constitutiones ad litteram, quauis cuiuscunque priuati hominis declaratione postposita, obseruent. Quod si difficultatem aliquam in earum

rum intelligentia contigerit suboriri, eius declarationem, & interpretationem nobis, & successoribus nostris, nostrisque Vicarijs Generalibus (salua semper Sedis Apostolicæ Auctoritate) reseruamus.

AD Conscientiarum autem quietem, Declaramus, in harum Constitutionum obseruatione, læthalis peccati periculo neminem esse innodandum, nisi vbi excommunicationis pœna, vel obedientiæ præceptum est appositum, vel aliter Iuris Canonici dispositio postulat. Illud tamen admonentes, vnumquemque qui temerario ausu illis non dubitauerit contrauenire, non solùm pœnis taxatis, sed alijs etiam nostro arbitrio esse mulctandum. Quod si in aliquibus Decretis mulcta aliqua non fuerit taxata, pœna tunc intelligitur, nostro, vel nostri Vicarij Generalis arbitrio iniungenda.

Dec. 3. Qua ratione obligent sub mortali.

ET quia scimus tunc Edicta, Legesq. diligentiùs obseruari, quando fuerint sæpiùs inculcata, ideò mandamus Parochis, omnibusq. Animarum curam habentibus, vt quæ Decreta ad Laicos idiotas pertinent, illa vulgari sermone explicata, certis temporibus Populo denuntient, Canonici verò, Parochi, & Clerus vniuersus, illis lectione repetita ita studeant, vt quæ ad singulorum disciplinam spectant, tanquam in animo scripta comprehendentes, munerum suorum partes studiosius exequantur. Scientes, se in Visitationibus, alijsq. examinibus, de horum scientia sæpiùs interrogandos. Quod si ea per negligentiam ignorauerint, pro culparum, & personarum ratione, arbitrio nostro, erunt corripiendi.

Dec. 4. Diligenter illis studeat Clerus: examinandus de illarum sciētia in cōcurrentijs, &c.

De Fide; eiusq. professione emittenda. Cap. II.

QVia verò tumidus ille locustarum exercitus, qui de aperto à cadente Stella puteo abyssi prodijt, hæretici nempè cum suo Duce Sathana, vsque ad fundamentum Ciuitatem Sanctam Hierusalem, quæ de Cælo descendit, quærunt exinanire; dum à cordibus fidelium, destructo priùs boni operis ædificio, soliditatem quoque conantur exhaurire Religionis:Hi enim sunt Babilonici illi hostes, qui, iuxta Propheticum illud, dixerunt, *exinanite,exinanite vsque ad fundamentum in ea*. Ideò ne ipsa Christi Sponsa, sicut Babilonis filia, sit misera, sed paruulos suos teneat, & ad Petram, qui Christus est possit allidere, superædificanda quotidie nobis est Turris Libani, custodiens nempè Ecclesiæ ipsius puritatem, contra Damascum,aduersus nempè saccum illum sanguinis, stabilito priùs Fidei fundamento, sinè quo cœterarum nequit ædificium constare Virtutum, superimponentes semper eiusdem Fidei Vexillum. Ipsa enim est, quæ ab Ethnicis, Iudęis, Hæreticisq.nos separat. Ipsa est lumen illud Diuini Vultus super nos signatum, datum nempè super nos tanquam vexillum, lumen ab ipso Deo veluti Sole diffusum; Fides quippe est, quæ à Deo nobis donata, & in arce intellectus nostri infixa; sub quo Duce militemus, demonstrat. Lumen item est, à Deo deriuatum, vt ipsum Deum altius quã per naturam possimus attingere, sicut enim mille licet facibus incẽsis,nunquam Solis lumen, nisi per radios ab ipso Sole diffusos, possumus intueri,

Apoc. 9. Ibid. 2. Ibid. 21. Greg.15.Mor. cap. 15. Psal. 136. Cant. 7. Psal. 4. S. Bagninus. Philo lib. de præmijs, & punitione.

tueri, ita humanarum licet ſcientiarum omnium faces præferamus, nunquam Deum ipſum, eiuſq. opera, niſi ipſe dederit, percipiemus, non niſi enim in eius lumine, ipſius poſſumus conſpicere lumen, vt vel ex hoc Nomē Dei in vniuerſa Terra fieret admirabile, quod abſconderit hæc à ſapientibus, & prudentibus, & ea paruulis reuelauerit. Pſal. 35. Matth. 11. Luc. 10.

Cum ergo oues ſuas propria Deus manu nobis tanquam Paſtoribus crediderit, illud præcipuè noſtri muneris erit, vt Catholica ſeruata fide, integra, atq. illibata; omni cura, ac cogitatione incumbamus, vt oues ipſæ puriſsimam de fontibus poſsint aquam bibere Saluatoris. Quamobrem veſtigia Orthodoxorum Patrum, in Concilio Niceno congregatorum ſectantes, Concilij item Tridentini, & felicis recordationis Pij IV. mandatis obtemperantes, Fidei profeſsionis formam ab eodem Pio IV. præſcriptam, & in alia Caſinenſi Synodo iam impreſſam, hic iterum reponi iuſsimus, vt ab omnibus in hac Synodo congregatis priùs emittatur, quæ eſt talis. Iſa. 12. Conc. Nic. 1. Trid. ſeſſ. 25. cap. 2. de ref. Pius IV. in bulla anni 1564.

EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Eccleſia vtitur, vz. CREDO in vnum Deum, Patrem Omnipotentem, Factorem Cæli & Terræ, Viſibilium omnium, & Inuiſibilium. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, Filium Dei vnigenitum. Et ex Patre natum ante omnia ſecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, Conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis. Et Incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, & Homo factus eſt. *Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt. Et Reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas; Et aſcendit in Cælum, ſedet ad dexteram Patris: Et iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spi-*

ritum

ritum sanctum Dominum, & Viuificantem, qui ex Patre, Filioq. procedit; Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et vnam Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum baptisma, in remissionem peccatorum: Et expecto Resurrectionem mortuorum: & Vitam venturi seculi. Amen.

Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasq. eiusdem Ecclesiæ Obseruationes, & Constitutiones firmissimè admitto, & amplector.

Item Sacram Scripturam, iuxta eum sensum quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum admitto, nec eam vnquam nisi iuxta vnanimem sensum Patrum accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque, Septem esse verè & propriè Sacramenta Nouæ Legis à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria. Scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium. Illaq. gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto.

Profiteor pariter, in Missa offerri Deo, verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro Viuis & Defunctis, atq. in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter Corpus & Sanguinē, vnà cum Anima, & Diuinitate Domini nostri Iesu Christi, fieriq. conuersionem totius Substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ Vini in Sanguinem. Quā cōuersionem Catholica Ecclesia Trāsubstantiationem *appellat.*

Fateor etiam, sub altera tantùm specie, totum atq. integrum Christum, verumq. Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium, esse, Animasq. ibi detentas fidelium suffragijs iuuari.

Similiter, & Sanctos, vnà cum Christo Regnantes, venerandos, atque inuocandos, eosq. orationes pro nobis Deo offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas.

Firmiter assero, Imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam.

Indul-

Indulgentiarũ etiã potestatẽ à Christo in Ecclesia relictã fuisse, illarumq. vsum Christiano Populo maximè salutarẽ esse affirmo.

Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Romanam, Ecclesiam Omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco.

Romanoq. Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro.

Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, præcipuè à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atq. profiteor, simulq. cõtraria omnia atq. hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, Ego pariter damno, reijcio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti spontè profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam vsq. ad extremum Vitæ Spiritum constantissimè, Deo adiuuante, retinere, & confiteri, atq. à meis subditis seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum.

Ego idem N. spondeo, voueo, ac iuro: Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

Hoc est ergo Sydus fulgentissimum, quod ad cęlestem Patriã nauigantibus prælucet. Hæc est Columna ignea, quæ nos veros Israelitas in Terram promissionis, præcedit. Hic mentis nostræ oculus. Et sicut sine fundamento nemo ædificat, absque Sydere nemo vastũ mare nauigat, sine oculo conspicit nemo, ita absque hac fide nemo Christianus Virtutum extruit ædificium, nemo procellosum huius vitæ Pelagus percurrere, nemo Diuinarum rerum fulgorem poterit intueri.

Ad Dominum igitur peregrinantes, & his fidei pedibus ambulantes, Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ, Sanctissimiq. Pontificis Vrbani VIII. Vniuersalis Patris, Successorumq. ipsius mandatis nos mancipemus. Sic enim, hac Fide seruata, post consummatum huius vitæ cursum, repositam reci-

2. Timot. 4. 1. Cor. 2.

recipiemus à iusto Iudice Iustitiæ coronam, præmiorum scilicet, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt.

Dec. 1. Innouantur decreta alterius Synodi, & emissio professionis fidei præcipitur.

PRæter eos, de quibus expressè declaratum fuit in alia Synodo, ad Fidei professionem emittendam teneri, quibus, quatenus opus est, eadem Decreta innouantes, iddem præcipimus: Statuimus insuper, & Ordinamus, vt omnes, & singuli, ad quos de Iure, vel consuetudine huius Synodi celebrationi interesse spectat, iuxta Sacri Tridentini Concilij præscriptum, initio dictæ celebrationis coram nobis illam emittant. Quod si quis inuenietur tunc absens, absque nostra, vel generalis nostri Vicarij licentia, solutionis aureorum decem pœna mulctabitur.

Sess. 25. cap. 2. de refor.

Dec. 2. Prædicatores Verbi Dei, illam iterum emittant. Regulares verò doceant an emiserint.

QVi item in posterum in nostra Diœcesi ad prædicandum Verbum Dei, vel ad confessiones audiendas fuerint admissi, si Seculares Clerici fuerint, illam iterum in manibus nostris, vel nostri Vicarij generalis emittere teneantur; si verò Regulares, doceant se illam in manibus sui Superioris aliàs emisisse.

Dec. 3. Omnes liberalium etiam artium, scientiarúq. professores ad illam tenetur.

DEclaramus insuper, id quod in alia Synodo sancitum fuit, de bonarum artium professoribus; quod ad fidei professionem emittendam teneantur; intelligi etiam de ijs, qui arithmeticam, musicam, vel aliàs artes liberales docent, de Medicis etiam, & Chirurgis. Atq. vt omnis ambiguitas tollatur, nullus in posterum quamcunque scientiam, vel liberalem artem profiteri, vel alios audeat docere, non emissa priùs fidei pro-

professione: Eo tenore, forma, & modo, quo hic ex sanct. memor. Pij Quarti Bulla fuit transcripta.

Hic fol. 11.

Dec. 4. Fidei professionis forma à Græcis emittenda.

ET quàmuis in Ciuitate nostra, Castris, & Oppidis nostræ Diœcesis, non commorentur Græci; quia tamen facilè contingere potest, vt vergente temporum vicissitudine, aliquis ex dictis nationibus huc sit ad commorandum accessurus; Ideò ne quid circà Fidei professionem omissum hic videatur, quod scire eos, qui curam animarum gerunt, oporteat; admonemus, aliam esse Fidei professionis formam, iuxta Bullam felicis recordationis Gregorij XIII. à Græcis emittendam. Vndè si quis Græcus posthac ad dictam professionem erit compellendus, iuxtà prædictam formulam, indè excipiendam, compellatur eam emittere.

Vide Quar. in eöp. bull. ver. Græc. ritus.

Dec. 5. Curati inquirât, qui ad illam teneâtur, & referant, & qui emiserunt annotentur.

VT autem hæc faciliùs, & inuiolatè obseruentur, præcipimus omnibus animarum curam habentibus, vt studiosè inquirant in suis Parochijs omnes, qui illam emittere tenentur, & eorum nomina infrà mensem ad nos, vel ad nostrum Vicarium generalem, sub pœna aureorum decem, deferant. Notarius verò nostræ Curiæ Spiritualis in aliquo certo libro, qui in eiusdem Curiæ Archiuio asseruetur, eorum nomina qui illam emiserint, & in posterum emittunt, diligenter adscribat.

Act. Ecc. Med.

De Hæreticis euitandis, & de Libris prohibitis. Cap. III.

Leo serm. 10. de Pass.

IN hac igitur Fidei arce constituti, omnes diaboli cauendæ sunt versutiæ, qui non solùm per

per carnis concupiscentias, aut per corporeas tantùm insidiatur illecebras, sed inter ipsa quoq; semina Fidei, spargens zizania falsitatum, veritatis studet violare culturã; vt quos non potuerit corrumpere malis actibus, impijs subuertat erroribus. Expetiuit enim, vt Catholicos sicut triticum cribaret; cumq. homines quosdam sui similes inuenisset, per illos Ecclesiam Dei oppugnare est aggressus, fallacijs scilicet, & mẽdacijs, quorum ille pater est, & quibus armis contra veritatem innititur, ipsius spiritui seruierunt, eius potestati sunt famulati, ipso duce præcipitati, eodem rectore agitati hæretici, hominum bonorum pestes, in quorum secta nullam vnquam pudicitiam, nullam continentiam, nullam denique potuimus reperire honestatem. Hi fuerunt sal infatuatum, vt propterea ad nihilum valuerint vltra, nisi, vt foras extra Ecclesiam mitterentur, & ab hominibus, & Bestijs Terræ conculcarentur. Hi sunt Stella illa, cui nomen *Absynthium*, quam vidit Ioannes, è cælesti regione in flumina, & fontes Terræ cecidisse, & aquas in absynthij amarorem conuertisse: Hæretici enim absynthium sunt amarissimum, qui hæresùm amarore Aquas, id est populos inficiunt. Cũ ergò Diabolus in cũctis peruersitatibus multiformem teneat principatum; arcem tamen sibi in Hæreticorum, præsertim nostri temporis insania, latissimamq. in eis aulam, in qua se exultantiùs iactare posset, instruxit. Quod enim in omnibus alijs antiquorum temporum hæresibus, profanum, obscœnum, sacrilegum fuit, atque blasphemum, id totum facit in hanc confluere, cùm omnium sordium concretione sentinam. Quorum lex

Luc.

Leo serm.5. de Ieiun.

Aug. Psal. 161.

Apoc. 8.

Leo ibid.

lex semper fuit mendacium, religio diabolus, sacrificium turpitudo. Ab horum ergo fermento est cauendum; Licet enim paruum initio videatur, farinæ tamen verbi Dei immixtum, crescit in maius, & ad saporem suum consperſionem trahit vniuersam. Si enim hæreticæ doctrinæ vel modica, in Catholicorum pectus scintilla quieuerit, breui in flammam succrescit ingentem, totamq. ad se fidelium cordium apta est trahere possessionem. Sicut ergo pane viuit corpus, ita abiectis pestiferis horum cibis, verbo Diuino viuat animus; memor eius, quod D. Hieronymus ait, quod qui verbo Dei non vescitur, ille non viuit; & Augustinus. *Quomodo*, inquit, *caro per famem sicca, & tenuis veluti quoddam simulacrum efficitur; ita anima, si verbo Dei non pascitur, arida, & inutilis, atque ad nullum opus bonum congrua reperitur.*

Hier. Matth. 26.
Matth. 4.
Hier. Matt. 4.
Aug. ser. 96. de temp.

Quia autē isti multoties suis pestiferis libris, melle exteriùs conditis, interiùs tamen aconythum continentibus amarissimum: *Molliti enim sunt sermones eorum super oleum, & ipsi sunt iacula*, veluti dulcibus quibusdam venenis in mortis exitium suauiter animam trahunt, cum, vt Sapiens ait, suauis soleat esse panis mendacij: Ideo in perpetuum exilium, ipsorum libri sunt amandandi. Si enim Apostolo teste *corrumpunt bonos mores colloquia praua*, quantò magis, & libri praui, cum quibus lectores diù colloquuntur, non mores solùm, sed ipsam etiam erunt apti corrumpere fidem? Nouerint ergo omnes, non in cælesti officina, sed Tartareis typis excussos prodire hæreticorum, & lasciuorum libros, qui animam turpissimis aspergunt maculis, & sicut

Psalm.
Prouer. 20.
1. Cor. 15.

non desunt Catholicorum libri, cælestem doctrinam continentes, ita illi tanquam arma continuò ad manus nostras versentur, quibus iaculis aduersus hostes illos impijssimos vtamur; ex ijs enim Fidei, Spei, & Charitatis arma sumemus, quibus tricipitem hostem, tricuspidi poterimus lancea transuerberare.

Et licet singulari Dei prouidentia ab. vniuersa nostra Diœcesi tã praui sceleris patratores hucusque abfuerint, & in posterum absuturos esse speremus; ne tamẽ Sathana instigante, aliundè in has oras aliquando fortasse penetrent, & vineam hanc nobis à Deo concreditam, nitãtur, vt vulpes demoliri, tam pernitioso malo diligentissimè occurrentes, infrascripta ex Sacrorum Canonum, Summorumq. Pontificum sanctionibus ordinamus.

Dec. 1. De Hæreticorum pœna.

QVia ergo impij isti, & ipsi malè de Deo, receptisq. sacris sentiunt, & alios ad sentiendum per turbas impellunt, ideo talibus impunè esse non debet, sed omninò puniendi, ne & nos pro illis puniamur, & meliùs est, vt pereat vnus, quàm vt pereat vnitas. Vrantur, secentur, vt membrorum potiùs aliquod, quàm totum corpus intereat. Ad quod etiam ipsos seculares nostræ Diœcesis Moderatores hortamur. Si enim volunt Deum Patrem habere, & Ecclesiam etiam debent agnoscere matrem.

Cyprian. de vtilitate pœnitentiæ.

Dec. 2. Sub excommunicationis pœna statim prodẽdi.

INnouantes igitur Decreta in alia Synodo de hoc emanata, districtiùs illa inculcamus, & non solum dilectissimos filios nostros admonemus, sed etiam sub excommunicationis latæ sententiæ pœna præcipimus, vt si cui innotuerit, vbi ha-

habitent, vbi doceant, vbi frequentent, & in quorum societate requiescant, nostræ sollicitudini fideliter indicent; quia parum prodest vnicuique, quod protegente Spiritu Sancto ab istis ipse non capitur, si cum alios in periculo esse intelligit, non moueatur. Cōtra communes enim hostes pro salute communi vna communis debet esse vigilantia, ne de alicuius membri vulnere, alia etiam possint membra corrumpi. Qui ergo tales non prodendos putat, in iudicium, & laqueum incidat diaboli, & inueniatur reus de silentio, licet non contaminetur assensu. Leo serm. 5. de Ieiun.

ET quia non isti solùm sunt prodendi, ideo sub eiusdem excommunicationis latæ sententiæ pęna præcipimus, vt vniuersi, ac singuli, tum Ecclesiastici, tum Laici, quouis dignitatis gradu, & honore præditi, in nostra Diœcesi nunc degentes, & qui in posterum ibi habitabunt, id omnino seruent, vt si quempiam scierint alicuius hæresis nota suspectum existere, aut quouis modo à Fide Catholica aberrare, siue hæreticalia verba proferre, vel hæreticorum more viuere, aut eorum esse sectatorem, fautorem, vel defensorem, ad nos confestim deferant. Dec. 3. Prodendi de hæresi suspecti.

QVò verò diligentiùs hoc aduertatur, præcipimus, vt hanc Synodalem Constitutionem vulgari sermone conuersam, quotannis, initio Aduentus, & Quadragesimæ, Parochi omnes in sua Parochiali Ecclesia, cum in Missa frequentior Populus adest, edicant. Inuigilent præterea, vt quas ipsorum tutelæ Dominus oues commisit, à nefarijs omnibus impietatibus, pestiferisq. dogmatibus longissimè semotas seruent. Quocirca diligenter aduertant ignotorum Dec. 4. Curati bis in anno hoc denuntient, & inquirant ignotorũ hominum mores.

hominum mores, si quando ex longinquis, & suspectis regionibus, intra suæ Parochiæ limites, se contulerint, aut in ea diuersari contigerit, & vbi aliquem perspexerint Catholico more non viuere, aut aliqua ratione à Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Fide, ritibusq. dissidere, eum ad nos confestim curent deferre.

Dec. 5. De sacræ Scripturæ reuerentia, & ea ad profanos vsus non retorquenda.

CVm autem fides nostra sacro Diuini Verbi eloquio innitatur, vt propterea summa cum veneratione ab omnibus sit recipiendum; tanquã abhominãdam proponimus illorum temeritatem, qui sacræ Scripturæ verbis, vel sententijs ad iocum, contumeliam, impietatem, superstitionem, fabulas, assentationes, detractiones, sortes, libellos famosos, aut quosuis prophanos sensus abutũtur. Fędis enim & inhonestis maculis sacra Scriptura contaminatur, cum eius verba, & sententiæ, quæ omni veneratione sunt colendæ, ad similia à nefarijs hominibus retorquentur. Quicunque igitur in hoc deliquerint, ex Concilij Tridentini præcepto erunt animaduertendi.

Cathechismus Roman. in explicatione secundi Præcepti Decalogi. Trident. sess. 4. decret. de vsu, & edit. sacr. Libr.

Dec. 6. Idiotæ non discepte͂t de mysterijs Fidei.

ET quia non minor potest grassari pestis ex hæreticorum conuersatione, quàm ex indoctorum hominũ de Fidei mysterijs, & concertationibus; ideo præcipimus vt nunquam Laicis, alijsq. qui Theologiam, sacrasq. litteras non sunt edocti, differere de Fidei mysterijs liceat. Ecclesiastici verò & docti homines, si quando similes temerarios deprehenderint, commonefaciant, qui si moniti noluerint abstinere, ad nos deferantur.

Dec. 7. Cuiuscunque scientiæ problemata non proponantur

PRæcipimus item, vt si quæ aliquando de quauis scientia problemata, vel axiomata, publicè, ingenij exercendi causa in posterum proponentur, hoc non priùs fiat, quàm habita à nobis,

vel

vel à Curiæ nostræ Theologo facultate, licet alibi licentiam illa imprimendi obtinuerint. Prædictus verò nostræ Curiæ Theologus diligenter obseruet, vt ab illis non solum aliquid fidei, verùm etiam pietati Christianæ, ac bonis moribus repugnans, absit. discutienda, nisi recognita à Curiæ nostræ Theologo.

Dec. 8. De Librorũ venaliũ Indice faciẽdo

NE verò hæreticorum scriptiones ad impietates, & errores facilè posſint incautos perducere, prospiciendum duximus, ne quid incommodi nostris fidelibus, ex prauorum librorum vsu, proueniat. Mandamus ergo bibliopolis, sub pęna amiſsionis librorum, vt nec in nundinis, nec alio tempore, in nostra Diœcesi, cuiuscunque scientiæ, vel artis, libros venales proponant, nisi Indicem fideliter confectum ad nostræ Curiæ Theologum attulerint, & iuramento affirmauerint, se alios, præter illos in Indice descriptos, non habere. Quem Indicem, manu ipsius Theologi subscriptum, apud se resumant conseruandum; Et hoc Decretum Parochi districtiùs curent, sub pęna ducatorum decem, obseruari.

Dec. 9. De omnium aliorũ Librorum Indice faciendo.

LIbrorum verò non publico mercium loco expositorum, sed aliò in nostram Diœcesim inuectorum, nec non etiam eorum, qui quocunq. modo à cuiusuis scientiæ, vel artis professoribus posſidentur, Index (infra duorum mensium spatium à die publicationis huius Edicti) ad eundem Theologum sub pœna amiſsionis librorum, & excommunicationis, deferatur. Quod idem obseruabunt hæredes, & vltimarum voluntatum executores, in libris à defuncto relictis.

Dec. 10. De publicãdo omnes Indices Librorum prohibitorum

ET quoniam non extat solùm Index librorum prohibitorum, per Patres à Tridentina Synodo electos cõfectus, ex ordine Pij IIII. primùm


editus, posteà verò à Sixto V. auctus, demum Clementis VIII. authoritate recognitus, & publicatus, sed multoties etiam diuersi alij sunt Indices editi, alij in posterum ijsdem vrgentibus causis edendi; ideo præcipimus, vt Vicarius noster Generalis procuret ab Vrbe omnes Indices ante hac editos, aliosq. posthac edendos ad se transmitti; vt si qui nondum fuerunt publicati, statim publicentur, & nullus in posterum de ignorantia in transgressione possit excusari.

Dec. II. Pœnæ detinentium Libros prohibitos.

Pius IV. in Constitut. q incip. Dominici. 24. Mar. 1564.

Quaranta verbo, libri prohibiti.

QVi ergo hæreticorum libros hæresim continentes, vel de religione tractantes sine authoritate Summi Pontificis, & Sedis Apostolicæ scienter legerint, vel quauis ex causa, publicè, vel occultè, quouis ingenio, vel colore retinuerint, vel quomodolibet defenderint; nouerint se statim in excommunicationem in cap. 1. Bullæ Cęnæ Domini contentam, incurrisse, fore declarandos; & eam ob causam in eos tanquam de hæresi suspectos inquiri, ac procedi licere. Qui autem alios libros alia de causa prohibitos legerint, aut detinuerint, & peccati mortalis reatu erunt astricti, & nostro arbitrio seuerè punien-di.



De

De Maleficijs, Veneficijs, Incantationibus, & superstitiosis Consuetudinibus. *Cap. IIII.*

PORrò humani generis hostis infensissimus, qui ab oculis, qui à latere nostro diuelli nulla ratione queit, ac nisi per arma iustitiæ à dextris 2.Cor.6.
& à sinistris nos ipsos Deo cõmendemus, propulsari nullatenùs potest, cum ad ipsius opprobrium sempiternum, fidem iam videat stabilitam, ne spes erigatur, & charitas in Deum magis inflammetur, dubium non est, quin ipse nocẽdi cupidus, acrioribus inuidiæ stimulis sit incitãdus; vt quos Leo de ser. Ieiun.
apertis persecutionibus impugnare non potest, dulcibus quibusdam alens venenis, latenter occidat. Habens huic operi seruientes, superstitiosos quosdam Magos, quos à Catholica fide deuios, sibiq. subiectos, militare in Castris suis sub diuersis maleficijs, & superstitionibus facit.

Cum ergo ipse de cælo ceciderit, in infernale baratrum deiectus, Diuinitatis tamen vmbram non cessat quotidie superbus affectare. Quapropter illud sibi maximè perficiendum curauit, vt Diuinæ sapientiæ Simiolæ cuiusdam etiam infuturorum prædictione imaginem mentiretur, nouit enim illud esse homini insitum lumen, vt non nisi numini futurorum tribuat cognitionem, iuxta Propheticum illud, *Annuntiate quæ ventura sunt infuturum, & sciemus quia Dij estis vos.* Isaiæ 41.
Nihil igitur in hoc genere inausum, nihil intentatum reliquit, innumeras incautæ plebi spinas ferens, eoq. deuenit infelix ipsius versutia, vt suas non curet augere pœnas, & supplicia propria

exacerbare, dummodo assertam iam animam per Christi sanguinem in libertatem, pristinæ suæ mancipet seruituti. Quia igitur nouerat, nullam ad hæreses introducendas viam esse apertiorem, quàm per superstitionum vanitatem, cum hæresibus magica spurcities ancilletur; hinc in mundum inuexit monstra illa, atque portenta, superstitiosa nempè inuenta, ad idola potiùs colenda ab ipso instituta, atque ad pacta placita, & fęderata cum ipso, pertinentia; ad quod genus attinent ligaturæ, atque inaudita, & portentosa remedia, quæ ipsa quoque Medicorum doctrina condemnat, siue in præcantationibus, & characteribus quibusdam, siue in alligandis, & suspendendis certis rebus, vel herbis, certo die, certòq. modo colligẽdis, cęterisq. similibus pręstigijs. His enim humani generis hostis, agros tritici ad diuini verbi panem formandum mirè feraces, cicutis, aconytis, ac venenis teterrimis contaminauit. Et sicut decipiendis primis hominibus ministerium sibi serpentis assumpsit, ita maleficorum, & diuinantium linguas ad seducendos bonorum animos, veneno suæ falsitatis armauit. Cum tamen hæc omnia plena sint pestiferæ curiositatis, cruciantis sollicitudinis, mortiferæ seruitutis. Ille item ipse spiritus qui decipere vult, ea cuique procurat, qualibus eum irretitum per suspiciones, & consentiones suas videt. Vnde in his cauendis, maxima debet Christianus Populus animaduersione muniri, ne hac pernicie, & maleficiorum dirissima grassante colluuie, medicinam deinde facere difficile sit, & laboriosum, præsertim cum facilè recrudescat huius morbi crudelitas, ad effrænatos appetitus explendos, promissionibus delinita. His

Beda in Collect. cap. 10.

Leo ser. de Pass. Dom.

Beda ibid.

His ergo insidijs Pastorali sollicitudine, inquantum Dominus auxiliatur, occurrere volentes, & ne quid de Sancto Domini Grege pereat, præcauentes; paternis denuntiationibus omnes admonemus, vt labia ista iniqua, & linguas dolosas, à quibus animam suam Propheta liberari desiderat, euitemus. Hæc enim sunt, quæ licet humiliter irrepant, blandè tamen capiunt, molliter ligant, latenter occidunt. Atque vt dictis, inquantum possumus, occurramus, & scandala hæc, at que ad fidei puritatem seruandam, offendicula, vt fieri potest, prohibeamus, infrascripta decernimus. Psal. 119.

QVia experientia nos docuit, faciliùs talibus dęmonum laqueis, indoctum vulgus, incautasq. mulierculas irretiri, quibus postquam ligatæ fuerint, non facilè patiuntur se dissolui: Ideò præcipimus omnibus Confessarijs, vt si quando tales in confessionibus audiendis deprehenderint similibus retibus inuolutos, sedulò illos, prudenterq. doceant, hęc Diaboli fraudibus, & deceptionibus ad animas illaqueandas fuisse adinuenta, & omninò nugatorias artes esse, atque ex pestifera quadam hominum, & Dęmonũ societate dimanasse, quorum infidelis, ac dolosa amicitia, Christiano homini, tanquam animæ pestis, est fugienda. Cum enim homo Christi sanguine sit redemptus, & Christum consequenter indutus incedere semper debeat, attendendum illi est, nullam debere esse Christi ad Belial, lucis ad tenebras, conuentionem.

Dec. 1. Confessarij seuere obiurgent maleficos.

DIligenter etiam à pęnitentibus, ijs præsertim, quos in mortis articulo vident constitutos, inuestigẽt, num aliquod remedium valetudi-

Dec. 2. Ne infirmi superstitionibus curari procurent.

tudini, vel curandis vulneribus adhibuerint, non quod à medica arte, sed à superstitione promanauerit. Tum prætereà, num tempora, loca, aut quidlibet huiusmodi superstitiosa opinione obseruauerit? Et quos in ea re peccasse inuenerint, grauiter obiurgent, & ab eiusmodi vano sensu, atque errore deterrere, & auertere conentur. Illud prudenter obseruantes, vt tam apertis verbis non interrogent, quòd potiùs illos similia doceant; ne dum malum auertere procurant, malum potiùs inferre videantur.

Dec. 3. Curati perquirant similia exercentes, & ad nos deferant.

CVrati verò nouerint, prouidos se esse debere vt in ipsorum notitiam veniant ij, qui spirituali salute postposita, similes permittunt pestes in suas animas grassari; & si quos inuenerint, qui veneficijs, maleficijs, incantationibus, ligaturis, characteribus, verbisq. occultis mentes hominum perturbare, morbos inducere, vel expellere, ventis, tempestati, & similibus imperare sibi persuadent, aut alijs pollicentur; qui item cuiusuis generis magicas artes, quæ non solùm expresse, sed etiam tacitè cum dęmonibus pactum contineant, sint exercentes, statim ad nos deferre teneantur, vt super his de opportuno remedio prouideamus, & quatenus opus fuerit, Canonicis pœnis eos coërceamus.

Dec. 4. Qualiter Astrologia Iudiciaria prohibeatur.

QVi autem Astrologia, & Mathematicis artibus delectantur, sedulò animaduerti debent, illis non permitti iudicia, nisi circà eas naturales obseruationes, quibus Nauigationibus, Agriculturæ, & Medicæ possint arti iuuare; non verò iudicia, & natiuitates hominum facere, quibus de futuris contingentibus successibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus, ali-

aliquid euenturum affirmare audeant, etiam si id se non certò affirmare asserant, aut protestentur. Qui enim secùs faciet, pœnis iuxta Constitutionem fel. rec. Xisti V. Pont. Max. nouerit se mulctandum.

Dec. 5. Libri de Superstitionibus tractātes non sunt legendi, sed ad Curiam nostrā deferēdi.

NOuerint ergo, prohibitos esse omnes libros, Operas, & Tractatus, etiam si non sint nisi manuscripta, huiusmodi Iudiciariæ Astrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Piromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, Artis Magicæ, etiam in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, execrabiles incantationes, ac superstitiones continentur, sub pœnis, & censuris in Indice contentis. Nullus igitur ea legere, aut quomodolibet apud se retinere ausu temerario præsumat, sed illos nobis, nostro Vicario Generali, vel alijs Theologis, ad id à nobis deputandis, sub ijsdem pœnis præsentare, & consignare statim debeant, iuxta sancita in eadem Constitutione.

Dec. 6. Quæuis auguria prohibita esse declaratur.

NEc de ijs tantùm, qui præmissa quomodolibet exercent, sunt pęnæ exigendæ, sed de ijs item omnibus, qui in itineris alicuius susceptione, aut cuiusuis rei institutione, vel progressione, dies, tempora, vel momenta vanè, & superstitiosè obseruant, & quadrupedum voces, auium garritum, vel volatum notantes, ex occursu etiam hominum, vel pecudum suscipiendi alicuius operis felicitatem, aut miseriam augurantur, vel præstigiosè thesauros absconditos, & furta demonstrare se posse confidunt; Hi enim omnes pęnis cöerceri, & à piorum consuetudine sunt eijciendi.

Et

Dec. 7. Cauentur nonnulla peculiariter superstitiosa.

ET, vt Parochi Plebes sibi à Deo commissas, vt omnes superstitiosum cultum magnopere declinent, possint admonere; breuiter nonnulla illis cauenda, quæ non sine dolore accepimus, attingemus. Quæ talia sunt. Venā die Ascensionis, vel Sancti Ioannis Baptistæ incidere, pedes eo die abluere, vel in mari natare, carduos, & herbas quasdam nocte, diem S. Ioannis antecedente colligere, panem scriptum alteri dare, primos puerorum calceos ex lupina pelle conficiendos, Sponsam cum Sponsi domum ingreditur, ouum debere pede frangere, & frumento aspergendam, aut dum pariunt, sub lectum superstitiosa quædam verba debere proferre, & similia, quæ tantùm valent, quantùm præsumptione animorum, quasi communi quadam lingua, cum dęmonibus sunt fœderata. Non enim quia valebant, animaduersa sunt, sed animaduertendo, atque seruando, per Dęmonum opera, factum est multoties, vt valerent.

Dec. 8. A superstitionibus cauendū, licet verba Sacra multoties cōtineant.

Trid. sess. 22. in Decr. de obser. in celeb. Missæ.

ADuertant item, non esse ab ijs decipiendos, qui sacra verba miscent, & non nisi sacra continere cōtendunt: Superstitio enim veræ pietatis falsa semper fuit imitatrix. Nō enim possēt edaces illi lupi simplices oues fallere, nisi sub Christi nomine tegerent rabiem bestialem. In ijs autem operatur ille, qui cum sit veræ illuminationis inimicus, in Angelum tamen lucis se transfigurat.

Dec. 9. Damnandi sunt etiam, qui Magorū, & similium inscitiā consulunt.

QVia verò malum hoc non, eos solùm, qui similia expresse exercent, inficit, verùm tanquam cancer serpens, tabem, longè lateq. diffundit; ideò si in hac diligenti inquisitione aliqui inuenti fuerint, qui magorum, lamiarum, striga-

rum,

rum, & similium peritiam, seu potiùs inscitiam consuluerint, vel eis fidem, fauorem, & auxilium præstiterint, vel quomodolibet cum ijs se intromiserint, quamuis de tali crimine sint solùm suspecti; Ad nos, vel ad nostrum Vicarium generalem deferantur, priùs admonendi, pœnis postmodum Canonicis, si non resipuerint, obiurgandi.

Et qui fidem, fauorem, & auxiliũ præstant. Ac ad nos deferẽdi.

ILlud insuper Sacerdotes omnes admonemus, ne ipsi etiam in his reperiantur incauti, dum requiruntur determinatum, insolitumq. quendam numerum Missarum, non maiorem, minoremq. cum certis, determinatisq. candelis celebrare; Cum enim hæc vanam soleant continere obseruantiam, à talibus omninò illis est abstinendum, sub pœna nostro arbitrio iniungenda.

Dec. 10. Caueant Sacerdotes, præsertim in Missarum celebratione, ne in his sint incauti.

QVia verò Matrimonij Sacramentum magnũ est, cum Christi Sponsalitium cum Sponsa sua Ecclesia præsertim repræsentet, quò puriùs, & liberiùs Sacramentales hæ nuptiæ possint celebrari, Excommunicationis latæ sententiæ mucrone duximus illos feriendos, qui eò præsumptionis deueniunt, vt audeant, veneficia, & fascinationes adhibendo, effectum Matrimonij impedire. Illud insuper sub grauissimis pœnis prohibentes, vt si quando tàm nefarium impietatis crimen fuerit commissum, non audeat vllus superstitiosis item, & improbatis verbis, vel factis, veneficia illa, & fascinationes dissoluere, quibus ijsdem pœnis respectiuè afficiantur, quicunque prædicta nefaria scelera suaserint, vel facienda mandauerint, vel quomodolibet auxilium, operamq. præstiterint.

Dec. 11. Excommunicationis latæ sentẽtiæ gladio feriũtur, Sacramẽtum Matrimonij Superstitionibus impedientes.

De

De Maledicis, & Blasphemis. *Cap. V.*

SEd ò impiam, ò immanem temerariorum hominum audaciam, ò ſceleratam abominationem, Quòd homo ad Dei imaginem, & ſimilitunem factus, ad ſupernaturali bono fruendum creatus, & Filij Dei pretioſo ſanguine redemptus, audeat, tamen non ſolùm prauis moribus, & vita ſceleſta carnem maculare, ſed verbis etiam, Maieſtatem Dei ſpernere, dominationem eius blaſphemare, iniurioſa dicta, & maledicta in illum, Beatiſsimamq. Virginem Matrem, Sãctum illud Dei Tabernaculum, impuro ore proferens. Pluat ſuper illos Dominus laqueos, ſit ignis, ſulphur, ſpiritus procellarum pars calicis eorum; Aperta terra deglutiat eos, & operiat ſuper congregationem ipſorum. Hos quidem vniuerſus bonorum hominum cetus, tanquam horribilia portenta ſemper eſt deteſtatus: Si enim adeò abhominabilis viſa fuit Iezabeli, & Filijs Belial calũniatoribus Naboth, blaſphemia; ſi adeo horrida diabolo, vt impiam illam, & procacem mulierem Iobi vxorem inducens, vt virum ſuum eò flagitij adduceret, & blaſphemaret Deum, ne voce quidem blaſphemiæ vſi ſint, ſed contrarij nomine horrorem eius diſsimulauerint; quomodo Eccleſia Catholica blaſphemos, & perditis hominibus, & ipſis etiam Dæmonibus deteſtabiliores, non rectè perhorreſcat? Vt propterea ſacrum narret eloquium, Dei cultores, blaſphemia audita, veſtimenta ſcindere ſolitos fuiſſe. Et cum Michael Archangelus cum diabolo diſputans alter-

Iud. in ſu Cath.

Pſalm. 10.

3. Reg. 21.

Iob 2.

Cathechiſ. Rom. in declarat. ſecũdi præc.

4. Reg. 19.

tercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit, imperet tibi Deus. Hi autem maiestatem Domini, quam, & Fide, & per ea, quæ facta sunt, nouerunt, audent blasphemare. Væ illis, hi enim despumantes suas confusiones, facti sunt sydera errantia, quibus procella tenebrarum seruata est in æternum. Ingrati ergo in Deũ, hoc animi vitium Diuinæ misericordiæ fontem inexhaustum aptissimum est exiccare. Meminerimus ergo, quanta nos Deus in luce constituerit, quãtùm beneficijs ipsius debeamus, vt à sua nunquam laude cessemus, & ad aurium exhortationem, voce cantemus illi, corde non sileamus, vita non taceamus, & cum Apocalypticis illis animalibus demus gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti super Thronum, & Agno; cum viginti quatuor senioribus procidamus ante illum, & adoremus Viuentem in secula seculorum. Honorificemus eum, dum corda, & corpora nostra, sanctè, & laudabiliter viuendo, vasa honoris, & habitacula munda sancto eius Spiritui præparamus; membra enim nostra Templum ipsius sunt; Ipsum enim habemus, & non sumus nostri, & scientes, quod non corruptibilibus auro, vel argẽto redempti sumus de vana nostra conuersatione, sed pretioso sanguine Agni immaculati, & incontaminati, Christi, glorificemus, & portemus Deum in corpore nostro.

Iuda in sua Cath.

August. in psalm. 146.

Apocalyp. 4.

Rup. in Apocalypſ. lib. 3. sub fi.

1. Cor. 16.

1. Petr.

1. Cor. 1.

Vt ergo accuratiùs ad tam nefarium scelus è nostra ditione tollendum incumbamus, detestabile hoc malum diabolo precẽtore introductum, vt hic incipiat socios habere, quos in æternum possideat criminis consortes, cupientes omninò extirpari, contra impudentes istos Diuinæ maie-

sta-

ſtatis blaſphemos, vt à tanta iniuria abſtineant, prouocamur. Si enim Nabuchodonoſor Rex infidelis agnoſcens Dei maieſtatem, qui liberauit de igne tres pueros, ſæuijt contra blaſphemos, decretum ferens, vt quicunque blaſphemauerint Deum Iſrael, in interitum ſint, & perditionem; quomodo nos ſilentes non mouebimur, qui non tres pueros ſolùm de flamma, ſed nos ipſos de infernali gehenna attendimus liberatos, dum videmus Chriſtum à Chriſtianis exſufflari? Quam iniquitatem Sanctus Auguſtinus impijſſimo ſcelere eorum, qui Chriſtum Crucis ſupplicio affecerunt, non minorem eſſe exiſtimauit. Illum iſti ſi non manu, lingua tamen percutiunt, & gladio linguæ occidere non verentur.

Aug. trac. 11. in Ioan.

Gloſ. in 5. decretal. tit. de maledic.

Dec. 1. De Blaſphemis acerrimè corripiẽdis.

PRimò ergo admonemus omnes Confeſſarios, vt non oſcitanter, & leniter contra blaſphemos ſe gerant, ſed acerba, & ſeuera impoſita pœnitentia ita animaduertant, vt acerrimæ ſatiſfactioni iuxta Cõſtitutiones felicis recordationis Leonis X. & Pij V. illos ſubijciant; doceantque quàm ſeuerè olim in blaſphemos ſit actum, vt non ſolùm pœna mortis fuerit illis præſcripta, ſed contra illos etiam acriter executa. In Leuitico enim habemus. *Homo qui maledixerit Deo, portabit peccatum ſuum. Et qui blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus opprimet eum omnis multitudo Populi.* Propter blaſphemiam item Regis Aſsyriorum, centum octuaginta quinque millia hominum, vna nocte fuerunt interfecta.

Leo X. in Conc. Later. ſeſſ. 9.
Pius V. in Bulla, quæ incip. Cum primum, in Bullar. fol. 929.
c. 24.

Dec 2. De Blaſphemãtium pœnis.

STatuimus inſuper, contra publicos, & ex peruerſa conſuetudine blaſphemos Conſtitutionem Gregorij IX. eſſe inuiolabiliter obſeruandã, vt

vt qui contra Deum, vel B. Virginem linguam blasphemam publicè præsumpserit relaxare, septem diebus Dominicis præ foribus Ecclesiæ ligatus corrigia circa collum sistatur, septemq. sextis ferijs in pane ieiunet, & aqua; nullatenus per id tempus Ecclesiam ingressurus, cum moneat Apostolus publicè peccantes, publicè esse corripiendos; vt quos exemplo suo ad malos mores prouocauit, suæ emendationis testimonio ad rectam reuocet vitam. 5. Decretal. Tit. de Maledic. cap. 2. 1. Thim. 5. 45. dist. c. sed illud. c. si pec. 2. q. 1. Trid. sess. 24. cap. 8.

Dec. 3. De Clericis blasphemis.

ATque vt ex hoc omnis absit seueritatis suspitio, declaramus: prædictam Constitutionem quoad Laicos tantùm locum habere, quando tertia vice de hoc fuerint inquisiti, prima autem, iuxta personæ qualitatem, & delicti grauitatem, pœna mulctabuntur pecuniaria, iuxta dictam Leonis X. Constitutionem, secunda verò vice pœna duplicabitur: Si verò Clerici fuerint, ne propter publicam illam satisfactionem dignitas vilescat Ordinis Clericalis, Mandamus, vt pro prima vice, fructibus vnius anni beneficiorum Ecclesiasticorum, si quæ possident, priuentur, secunda vice, & beneficia ipsa amittant, & inhabiles ad alia in posterum obtinenda reddantur. Quod si nullum possident beneficium, prima vice quadraginta, secunda octuaginta ducatos soluent, tertia verò, tàm beneficiati, quàm qui nullum possident beneficium, ad triremes damnati, tribus annis pœnitentiam agant.

Decr. 4. Erigenda Sodalitas Nominis Dei, cum Indulgentijs.

AD hoc autem detestabile scelus quantum fieri potest abolendum, hortamur fidelem Populum nobis subiectum, vt Sodalitatem Nominis Dei in Parochialibus Ecclesijs canonicè instituendam procurent: In quam homines zelo reli-

C gio-

gionis Dei accensi recipiantur: Et vt alacriùs in illam studeant cooptari, Parochis præcipimus, vt Indulgentias à fel. recordat. Pio IV. ingredientibus Sodalitatem prædictam, & Regulas ibi præscriptas obseruantibus, concessas, sæpiùs euulgent, moneantq. Parochos, vt sæpiùs acres adhibeant in hoc reprehensiones, quas tum ex sanctis Patribus, tum ex Cathechismo Romano, tum ex ijs quæ in hoc capite à nobis sunt sancita, poterunt venari.

Bulla edita Idib. Aprilis 1564. in Bull. fol. 804.

Cathechism. Rom. in explicat. 2. præcep. Decalogi.

Dec. 5. De Indulgentijs publicandis in fauorem corrigentium blasphemos.

HOrtamur etiã eos, qui huiusmodi blasphemantes audierint, vt ordinem correctionis fraternæ, in tam nefario scelere, velint seruare, quod præsertim à parentibus erga filios, & à Dominis erga seruos est præstandum: Incorrigibiles etiam à se ipsis eijciendo, ne ipsi quoque læsæ Diuinæ maiestatis rei, tantùm scelus perferendo, constituantur, in quo annorum decem Indulgentiam à Leone X. in supradicta Constitutione concessam, lucrifacient; vberrimam deinde, piæ huius curæ, à Deo mercedem expectantes.

Dec. 6. Magistratus seculares contra blasphemos sint seueri.

MAgistratus insuper nostræ Diœcesis vehementer in Domino hortamur, vt per ipsius Dei gloriam, quæ tam maximè in blasphemia violatur, zelo honoris Dei commoueantur, & quantum in illis est, tam execrabile scelus exterminare studeant, & abolere: In quo, & prædictam Indulgentiam, & mercedem à Domino consequentur, agnoscentes se vindices esse debere tam perniciosæ contumeliæ, quæ in ciuilis Reipublicæ dedecus etiam vergit: Quod enim in religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam.

l. 4. C. Iustin. de hæreticis.

Blas-

BLasphemiæ in Deum, affinis est iniuriosa in proximum famosorum libellorum affixio; vel euulgatio, ex qua plurima in dies damna conspicimus prouenire. Ideò vt pernicies ista, & lues exterminetur, omnes, & singulos, qui huiusmodi libellos scripserint, ediderint, vel euulgauerint, excommunicationis latæ sententiæ pœna innodamus. Quod si Clerici fuerint, & beneficiati, præter dictā pęnam excōmunicationis, Ecclesiasticis beneficijs priuabuntur; si verò beneficiati non fuerint, ad ipsa in posterum obtinenda erūt inhabiles, & alijs grauissimis arbitrio nostro pęnis mulctabuntur. Ab excommunicatione autem nemo erit absoluendus, si pro modo culpæ nostro arbitrio non erit parti læsæ factum satis. Quod si quis dictos libellos ab alijs sparsos, siuè affixos inuenerit, statim laceret, & comburat, non euulget, aliàs tanquam illorum auctor puniendus est.

Dec. 7. Contra euulgātes famosos libellos.

Cap. si qui 5. q. 1. Burc. l. 3. c. 199 Iuo p. 3. c. 11. Bull. Greg. 13. quæ incipit, Ea est rerum, an. 1572.

Gloss. d. cap. si qui.

De Missarum celebratione. Cap. VI.

VErùm, licèt optima de Deo existimare, pietatis in ipsum sit exordium, mutila tamen pietas ipsa esset, ac manca, si rectò tantùm de Deo sensu muniti, non cultu item perfecto in eundem essemus instructi. Si enim nosse ante omnia summum illud, atque incomparabile bonum oportet; & cognitum piè, purèq. certis pręscriptis legibus, ac cerœmonijs, necessè est etiam venerari. Vnde taurorum, hircorum, agnorumq. immolatione, in Mosayca lege coli se velle mandauit Deus; Sed nunquid mādueabit carnes tau-

August. lib. 1. de libero arb.

Psalm. 49.

rorum, aut sanguinem hircorum potabit? Non item. Haud enim immolantur Deo tauri, non vituli, non hirci, sed Christus Dominus in Ecclesia Catholica immolatur, cum augustissimæ Eucharistiæ sacrificium offertur. Nullum igitur inter omnia sacrificia maius, nulla oblatio potior esse potest, quàm Corporis, & Sanguinis Christi. Sicut ergo nullum aliud opus existit, quod cum hoc ipso tremendo Mysterio, vel minimum conferri queat, & æquiparari; summa certè cura debet adhiberi, vt omni religionis cultu peragatur.

Alexan. Papa. epist. 1. & cap. nihil, de Consec. dist. 2.

Eccles. 50.

Nam si magnus ille Oniæ filius Simon, optima illa Sacerdotis Euangelici vmbra, adeo laudatur, quod tanta Maiestate, tam graui tubarum sonitu, & cantus suauitate, sacrificium vitulorũ, & arietum Deo offerebat, quanam Sacerdotes maiestate, qua animi reuerentia, qua cordis veneratione sacrificium hoc debent offerre, cum non vmbram, sed veritatem, non vitulum, vel arietẽ, sed Christum ipsum, Hominem, Deumq. contineat, & nobis exhibeat venerandum? Qua Populus pietate, qua interiorum vocum harmonia, dum illud offertur, coram Christo debet adesse? Qui etiam interioris hominis operatur sanctitatem. *Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationẽ carnis, quantò magis Sanguis Christi emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti?* Omnis igitur Sacerdos ex hominibus assumptus, pro hominibus constitutus in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat sacrificia pro peccatis, viuificam illam, & salutarem hostiam, ad Christi Passionis memoriam, & ad vberrimos ab ea gratiarum riuos haurien-

Hebr. 9.

Ibid. 4.

riendos, oblaturus; se hostiam sanctam, Deo placentem priùs studeat exhibere: Sic enim velut adipe, & pinguedine replebitur anima ipsius, si interioris exultationis labijs laudabit os eius. Populus item se simul cum Sacerdote nouerit holocaustũ Deo offerre: Illud animo reputans, quod cum respexerit Dominus ad Abel, & munera eius ad Cain autem, & ad munera eius non respexerit; se non cum Caino, sed cum Abele sacrificium Deo gratum debere offerre; de primogenitis nẽpè, & adipibus gregum: sicut etiam Christus se ipsum primogenitum, plenum adipe totius gratiæ obtulit in Cruce. Sic ergò Sacerdotes quotidie sacrificium plenum adipe totius consolationis offerant, quo populus, qui corde humili, animoq. puro accedit, impinguetur. Vt ergò holocaustum nostrum pingue fiat, ad cœnam illam Agni, post maris rubri transitum, prouidi, & dealbatis animarum stolis accedamus; ne quẽquam nostrum propter animæ fœditatem diuinæ adeps refugiat virtutis. Atque vt sacrificium hoc inter propitiatoria præstantius, quantùm potest idoneè offeratur, & à populo religiosiùs colatur; hæc præcipimus.

Psal. 62. Gen. 4. Psal. 19.

Decr. I. De rubricis Missalis seruã- dis. Et de quæstuantibus à Missa arcen- dis.

MAndamus ergò, vt omnes Sacerdotes Rubricis generalibus Missalis Romani, reformati per fel. recordat. Clementem VIII. seruatis, cerçmonias quaslibet, prout ibi sunt determinatæ, & non aliter, ordinent: Illud semper præ oculis habentes, non licere cuiquam, sub quouis deuotionis prætextu, vel pietatis colore, verbis Sacri Canonis, pro animi volũtate, quicquam addere, vel interserere. Quia verò tunc populus deuotioni, & diuino cultui debet vacare, præcipimus

mus Sacristæ, vt non permittat pauperes inter Missarum celebrationem, quæstus facere; sed eos solùm in Ecclesiæ ianua faciat permanere.

Dec. 2. Taxantur Missarum Eleemosynæ, & testatorum piorum satisfactio.

Trid. sess. 21. c. 1. de refor. Idem sess. 21. de euitand. in celebr. Missarum.

IDolorum item seruitus Auaritia, quantò ijs, qui secundum Seculi leges viuunt, esse debet detestabilis, tantò in Clericis detestabilior sēper apparuit; vt ab Ecclesiastico Ordine ipsius etiam suspitio abesse debeat. Vt ergò in hoc, iuxtà Sacri Conc. Trid. mentem, in nostra Diœcesi prouideamus, & importunas, atq. illiberales Eleemosynarum exactiones potiùs, quàm postulationes prohibeamus, & Sacerdotum etiam (qui cùm altari seruiant, de altari viuere debent) indemnitati consulamus: mandamus; vt pro qualibet Missa Sacerdotes vnum habeant carolenum. Quæ verò Missæ, die à Testatoribus statuta celebrari non possunt, celebrentur statim die sequenti, non impedita; ne piæ Testantium pereant volũtates.

Dec. 3. De Reuerēdissimo Abbate ad Ecclesiam eunte, & redeunte associando à Canonicis

Trid. sess. 24. c. 12. & c. Episcopus. de cōs. dist. 1. & c. iubemus, ead. dist.

Act. Eccl. Med. par. 1. tit. de celebrat. Miss. cap. 35.

PRæterea ne debita Antistiti reuerentia tractu temporis relaxetur: præcipimus sub pœna arbitrio nostro iniungēda; vt laudabilis illa consuetudo hactenus obseruata, quòd Clerici omnes simul cum Canonicis Ecclesiæ S. Germani, Reuerendissimum Abbatem pro tempore existentem, Cappa indutum, ex sui Palatij Camera ad Ecclesiam celebraturum, vel Pontificalem aliquem actum exerciturum, progredientem, & ab ea redeuntem comitentur; eidemq. assistant, super talari habitu, mundo superpelliceo induti. Dùm verò solemniter celebrat; nullus Sacerdos audeat sub eadem pœna, Missam sine licentia incipere.

Dec. 4. Missa celebrāda detectò ca-

IN Missæ celebratione nulli Sacerdotum liceat annulum gestare, etiam sibi alibi sibi permittatur,

tatur, nec subbirretum, nisi infirmitatis causa, habita priùs à nobis licentia, ita tamen, vt à tempore consecrationis vsque ad sumptionem inclusiuè, qui eam obtinuerint, omninò caput denudent: Quod idem de Diacono, & Subdiacono in Missa solemni intelligatur, nec permittant clericale birretum, quod accedendo ad Altare, vel ab illo recedendo, gestare tenentur, super altare, dum celebrant, reponi.

pite, sine annulis, & de birreto alibi reponendo.

Zaccar. Pap. in Syn. Rom. c.13. & c. Nul. Episc. de consf. dist. 1.

VBi non nisi vna Missa à Parocho celebrari potest, pro Populi commoditate, recitetur hora competenti, nec cuiusuis personæ gratia differatur, vel anticipetur; Vbi vero plures celebrantur, ita debitis interuallis distribuantur, vt vna in aurora pro Operarijs, vel iterfacturis celebretur, altera post Conuentualem differatur. Sacerdos autem indutus Sacris vestibus, vices Christi nouerit se tenere; propter quod non debet aliquem in altari expectare, nec pro quocunque inchoatam iam Missam repetere: Seruans illud inuiolabiliter, vt nec ante auroram, nec post meridiem, nisi in casibus à Iure permissis, celebret; Cum solùm in nocte Natiuitatis Domini possit noctu prima Missa celebrari. Ceterùm alijs diebus sub prætextu quorundam Priuilegiorum nemini, præterquàm horis debitis, celebrare licet, cùm omnibus Priuilegijs per Constitutionem fel. rec. Pij Papæ V. Romæ die 29. Martij 1566. publicatam, fuerit derogatum: Et nisi rationabilis causa aliud suggerat, semper post recitatas saltē Matutinas horas celebretur.

Dec. 5. De commoda hora celebrādi, de ad Altare non expectando, & de diu. off. prius recitando.

Act. Eccl. Med. par. 1. de celebratione Miss. cap. 8.

IN noua Missa, permittimus solùm, vt quæ pro sua deuotione offert spontè Populus, possit post Offertorium Sacerdos in imo gradu Altaris

Dec. 6. Prohibētur in noua Missa profanæ solemni-

tates, & de oblationibus spontaneis.
Trid. sess. 22. de obseru. in celebrat. Miss.
Add. Decr. Sac. Congr.

constitutus, nonnisi manipulum, vel Sacras Imagines porrigens deosculandas, recipere, publicas exactiones etiam sub prætextu eleęmosynę, commessationes, saltationes, conuiuia, sub arbitrij nostri pœna omninò prohibentes.

Dec. 7. De Sacerdotibus ignotis, siue dimissorijs non admittendis.

SAcristæ, Curati, & Ecclesiarum Præfecti, sub pœna vnius aurei, non permittant celebrare ignotos, & vagos Sacerdotes, nisi de nostra, vel generalis nostri Vicarij licentia, & præsentatis priùs litteris dimissorialibus, quæ, si nimis fuerint obsoletæ, comitetur etiam fides Ordinarij eius loci, vbi fuerint per illud temporis interuallum commorati.

Dec. 8. De plurium celebrantium distantia, & de Euangelio in fine.

Act. Eccl. Med. par. 1. tit. de celebrat. Miss. cap. 8. & 44.

IN Ecclesijs, in quibus multi sunt Sacerdotes, si contingat plures simul celebrare, illud aduertatur, ne in duobus Altaribus nimis vicinis, aut è regione positis, celebrent, ne se mutuo turbent, & impediant, nèue qui vni adstant Missæ, alteri celebranti cogantur terga vertere. Adstantes verò non recedant, nisi benedictione recepta, & lecto vltimo Euãgelio: Quod dum legit Sacerdos, nihil aliud operetur, sed manus antè pectus iunctas teneat.

Dec. 9. De correspondẽtia Missæ, & diuini officij. Et de pulsãdo signo eleuationis.

IN omnibus diebus festiuis de præcepto, & in duplicibus, Missa celebretur conformis Officio recitato; nec nisi legitima occasione aliter fiat. Et in Ecclesijs Parochialibus, in Missa Conuentuali, vel Parochi, si solus celebrat, eleuationis Sanctissimi Sacramenti signum, pulsata Campana, Populo detur, & in alijs Missis priuatis, paruũ tintinnabulum certis distinctis ictibus à Ministro, sub pœna arbitraria, pulsetur.

Dec. 10. De Tabella Anniuersario-

IN qualibet Sacristia appendatur Tabella, in qua sint descripta Anniuersariorum, Missarum, & om-

&omnium Officiorum per suos dies onera, ad quę persoluenda, per legata dispositum fuit; Quæ dum passim persoluuntur, ab eo, ad quem Ecclesiæ cura spectat, in libro ad id peculariter destinato, sub arbitrij pœna, notentur: Quod si certum sit Altare, in quo Missæ celebrari debent, ibi, & non alibi celebrentur, nisi aliter à nobis, vel nostro Generali Vicario fuerit ordinatum; quod si non seruetur, nec satisfactum fuisse censeatur.

rū, Officiorūq. & altaris determinatione exequenda.

Dec. 11. In Ecclesijs ruralibus non celebretur, nisi possint claudi. Et de Altariū ornamento, & transportatione.

Rectores Ecclesiarum ruralium, & Campestrium, in quibus portæ non sunt cum suis clauibus, & Altaria desunt decenter cooperta, aut de necessariò requisitis non sunt prouisa, celebrare quemquam ibi non permittant, sub pœna suspensionis à Diuinis. Et si quis ausus fuerit Altaria portalitia de vna Ecclesia in aliam sine nostra licentia asportare, arbitrij nostri pœna punietur.

Dec. 12. De Sacrificij frequētatione, & Clericorum Communione.

Quoniam verò Curati ita castis moribus, & pietate conspicui esse debent, vt præclarum bonorum operum exemplum, & vitę monita ab ijs possit Populus expectare: Ideò inhærentes Sac. Conc. Trid. præcipimus, vt Animarum Curam habentes, saltem ter in hebdomada, reliqui verò Sacerdotes omnibus diebus festis de præcepto, Missæ Sacrificium Deo offerant. At qui in Sacris iam sunt constituti, bis; reliqui verò Clerici saltem semel in Mense, Sacerdotes verò suspensi, vel legitimè impediti, singulis diebus festiuis, sub pœna arbitrij, cęlesti pane reficiātur. Quorum fidem, qui Ecclesijs præsunt, quarto quoque mense Generali nostro Vicario exhibeant.

Dec. 13. De arcendis à celebrando criminosis.

NE Populo in tam tremendo Sacrificio scandalum aliquod generetur, præcipimus, vt Sacerdotes, qui publici, & notorij fuerint criminosi, ab eo conficiendo, donec vita emendata sceleris maculam deleuerint, arceantur.

Dec. 14. De Missa Conuentuali per capitulum non omittenda.

LIcèt Capitulum qualecunque nostræ Diœcesis alibi sit Missam pro alicuius Sancti festiuitate, vel alia de causa solemniter celebraturum, Missam, tamen Conuentualem in suis Collegiatis, singulis diebus, sub pœna arbitraria celebrare non omittant. Et Parochi Populum hortentur, vt in Missa priuata flexis genibus adsit, & in sua quisque Parochia ad audiendum verbum Dei conueniat.

Dec. 15. In Missa Conuentuali adsint, Diaconus, & Subdiaconus parati.

DIebus Dominicis, alijsque, in quibus Officium duplex peragitur, Diaconus, & Subdiaconus, vbi commodè fieri potest, Dalmaticis induti, Sacerdoti Missam Conuentualem celebranti ministrent: vbi verò ob Clericorum penuriam fieri hoc nō potest, ministret Clericus, indutus superpelliceo mūdo, & nō lacero. Quæ mūdities seruetur etiam in alijs Missis priuatis, sub pœna arbitrio nostro iniungenda, tàm ipsi, quàm Sacristæ, siuè Ecclesiæ Præfecto, quàm Sacerdoti, qui sic ministrare permittit.

Dec. 16. Missa celebretur cum omni grauitate, & modestia. Folia in Sacristia inueniant, nec in Altari Signacula cōponantur.

SAcerdos autem, qui non nisi præuia Sacramentali confessione, & absolutione, si ad hoc illum grauioris peccati conscientia impulerit, ad tantum Sacrificium conficiendum accedere debet, ne manducans, & bibens indignè, iudicium sibi mãducet, & bibat, nō dijudicans Corpus Domini; dum Sacris vestibus induitur, modestiam, & grauitatem, quę Christi Ministros decet, seruet. Quam etiam dum ad Altare accedit, & ab illo rece-

recedit, non diuertendo hinc indè oculos debet seruare, vt populi deuotionem non interturbet, sed augeat, tàm tremendum Sacrificium summa cum reuerentia peragat, nimiam velocitatem, vel tarditatem euitans, inueniendo priùs Missam in Sacristia, & signacula ibidem, non in altari, componendo.

Dec. 17. Verba Sacri Canonis Secretò recitentur, ex libro, & nō memoriter.

MOnemus insuper Sacerdotes, vt vitium illud, recitandi alta voce secretas Canonis orationes, omninò euitent; quæ autem à populo sunt audienda, clara, & intelligibili voce pronuntient, omnia ex Missali legendo, nihil memoria proferendo, nullo pacto memoriæ suæ cōfidentes; Illud semper præ oculis habentes, etiam erratum ex lapsu linguæ in Missa, præsertim in Canone, esse grauissimum. Aduertant etiam, præterquàm in Eleuatione, dum Sacratissima tractatur hostia, non debere ampliùs ita sustolli, vt à populo videatur, seruantes semper ritum, cerẹmoniasque, quæ in Missali Romano præscribuntur.

Dec. 18. Quod orēt post celebrationē Sacerdotes in Sacristia.

CVrent Sacerdotes, vt cādelæ non extinguantur, nisi postquam recitatum fuerit totum Euangelium in fine Missæ legendum. Missæ autem celebratione peracta, ad Sacristiam cū grauitate reuertantur; nec statim, postquam sacris exuti fuerint vestibus, cum aliquo colloquantur, aut indè exeant, sed ablutis manibus, genuflexi Deo gratias agentes orent.

Dec. 19. Priuatū Oratoriū non permittatur: permissū verò pro domesticis tātùm valeat.

ET quāuis vsque modò in nostra Diœcesi nulli concessa fuerit facultas, vt Missa in propria Domo, vel priuato aliquo Oratorio celebretur; si quando tamen aliqua vrgente causa iudicatum fuerit in posterum talem facultatem esse concedendam, quæ nonnisi maxima de causa concedi

debet,

debet; intelligimus id fieri non posse nisi in Oratorio, & altari ad Diuinum tantùm cultum dedicato (super quo habitandi licentia non permittatur.) quod sit decenter extructum, & ornatum, ab omnibus domesticis actibus liberum, à nobis visitandum, & approbandum: & vt non celebretur ibi diebus Paschatis, Resurrectionis, Epiphaniæ, Pentecostes, Ascensionis, & Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi. Quo in loco alij, præter familiares illius domus, si Missam in diebus festiuis audierint, ab alia in publica Ecclesia audienda liberi minimè censeantur.

Dec. 20. Quid seruandum, dum ter Missa celebratur die Natiuitatis Domini.

QVia verò in die Natiuitatis Domini nostri, largiente Domino, ter Missæ Sacrificium Sacerdotes sunt peracturi; quod alio die nulli quauis occasione permittitur; & in prima, & in secũda, nonnisi Sanguinem post Corporis sũptionem sumere licet, vt ieiuni reliquas duas celebrent; præcipimus, vt digitorum ablutiones in alio Vase mundo reponant, illasque in vltima Missa sumant, ablutiones verò quæ seruãdæ sunt in duabus Missis solemnibus (quæ post mediam noctem, & post auroram celebrari debent) in Tabernaculo, vbi Sanctissimum Sacramentum est repositum, conseruent, eodem pacto in vltima Missa sumendas. Quod iddem seruetur ab alijs Sacerdotibus, si quis Missas priuatas temporis interuallo interposito voluerit celebrare.

Dec. 21. De Missis Conuentualibus decantandis. Et Symbolo sine Organo, lascinisq. modulationibus.

PRæterea præcipimus, vt quibus diebus ex Missali Romano præscripto, vna de festo, altera de feria, Missæ sunt canendæ, vtraque solemniter decantetur. Nec ille, cui ex hebdomadæ debito incumbit Missas solemniter celebrare, possit alium, nisi legitima causa impeditus, substituere;

tuere; Et in tali casu, si Canonicus fuerit, non nisi Canonicum substituat. Item præcipimus, vt Superior Chori sub arbitrij pœna, omnia ea quæ de more sunt canenda, canere faciat. Et vt Symbolum fidei, quando cani debet, totum à Choro, non alternatim cum Organo cantetur. Nec permittat ab Organo, & à Cantoribus, quando musicis modulis in solemnibus diebus est canendum, lasciuos mollesq. canendi modos adhiberi; sed solùm graues, piosq. cantus. Sicut enim isti deuotionis accendendæ sunt valdè accomodati; ita illi, ad profana, & illicita mentem aduocant.

Trid. sess. 22. de obser. in celebr. Miss.

QVia verò totius Catholicæ Ecclesiæ firmamentum est Summus Pontifex, ideò pietatis Christianæ debitum poscit, vt continuò à Sacerdotibus preces pro ipso fundantur; Quo circà mandamus, vt Oratio, *Deus omnium fidelium*, in Missali Romano præscripta, quando in Missa dici debet, nisi vrgenti de causa nõ omittatur. Vt item quando nuncium de eius infirmitate habitum fuerit, statim preces pro ipsius incolumitate fundantur; Cum verò de morte certiores facti fuerint, in omnibus Ecclesijs Campanæ, sicut de more pro mortuis fieri solet, pulsentur, & Missæ Sacrificium solemniter pro ipsius Anima offeratur, & ab alijs Sacerdotibus saltē Collecta pro ipso in Missa fiat. Quod iddem etiam erit seruandum, si quando contigerit Reuerendissimum Abbatem Sacri Monasterij Casinensis, pro tempore existentem, vel ægrotare, vel è Vita migrare. Post modum pro eligendo alio vniuersali Pastore, vel huius Monasterij Abbate, in Missa Collectæ, & extra illam, iuxta ordinem à nostro Generali Vicario recipiendum, fiant supplicationes.

Dec. 22. Collecta pro Romano Pontifice quãdo præscribitur, nunquam omittat. Neque pro Reuerendissimo Abbate, siue ægrotantibus, siue defunctis.

Diui-

Dec. 23. Ab omnibus Capitulis celebretur Missa pro Canonicis defunctis, prima die nõ impedita, post diẽ Commemorationis omnium Defunctorum.

DIuinæ Misericordiæ bonitas ea quæ nos pro alijs defunctis bona operamur, eadem pro nobis fieri, post obitum nostrum faciet. Ideò mãdamus, vt postquam Capitula omnia nostræ Diœcesis Missam solemnẽ pro Defunctis, in die Commemorationis vniuersali ipsorum celebrauerint, statim prima die non impedita, aliam solemniter celebrent pro alijs Canonicis, ante illos, qui viuunt, vita functis.

Dec. 24. Nullus celebret, nisi Clericali corona insignitus. Nec desit in Altari Imago Crucifixi. Deq. Altari portatili adaptando.

Cap. Altaria, & c. Concedimus, de Cõsec. dist. 2.

SAcristæ item, alijq. Ecclesiarum Præfecti, nec solemnem, nec priuatam Missam permittant alicui Sacerdoti celebrare, sub pœna sex aureorum, nisi fuerit Clericali corona insignitus, quæ conspici posfit, qua eadem pœna ipse celebrans erit mulctandus. Curent etiam, vt Altaria sint egregiè constructa, in quibus si nulla fuerit Crucifixi Domini imago expressa, Crux in medio collocetur; eo saltem tempore, quo Missæ Sacrum celebratur. Curetur item, vt in Altari non consecrato non celebretur; nisi ibi fuerit Altare portatile lapideum consecratum, decenter aptatum, nullàq. ex parte confractum.

Dec. 25. Sacerdos per se celebret, nec aliũ, Prælato incõsulto, substituat.

QVilibet autem Sacerdos meminerit, se statim sub grauis peccati periculo, oneri, quod suscepit Missas celebrandi, debere satisfacere. Qui autem cappellas obtinent, quibus adiunctum est onus Missas celebrandi per se ipsos faciant, non per alios qui munus ipsum persoluant: nisi quando ex aliquo accidenti fuerint legitimè impediti. Quod si velint perpetuò per alios vices ipsorum suppleri, id nobis inconsultis minimè concedatur.

Dec. 26. De Ceremonijs obseruandis: & actiones cum

QVoniam verò licèt ceręmonię omnes in Missali reformato præscriptæ obseruentur, id tamen

tamen minimè sufficit, nisi etiam cum grauitate, & debito modo, sine dissolutione peragantur; ideo præcipimus, vt quotiescũque se ipsum signo Crucis Sacerdos debet signare, non quasi aerem signans, sed semet tangat; manum extendens à fronte ad pectus, & ad duos humeros; illam in fine Crucis non deosculando, nec infrà pectus ponendo; sed quando iungi debent manus, statim ante pectus iungendo, pollicem sinistræ ad modum Crucis componendo; ita vt aliorum digitorum summitates in altum porrigantur, non verò terram respiciant; & in alijs ceremonijs obseruandis, verba cum habitu corporis componantur, nec præueniant corporis gestum, nec ab illo præueniantur. Aduertat item, vt inclinationis modos non confundat, sed obseruet, quando totum corpus profundè, quando verò est solùm caput inclinandum; & dum est genuflectendum, dextrum genu ita flectat, vt terram tangat; dum pectus est percutiendum, verè percutiat, non verò fictè, & per solum signum; quod non faciat, quando Minister in Confessione dicit; *Mea culpa*. Quod si requisitus fuerit ab aliquibus, vt Sacra illos Cõmunione in Missa reficiat, si maior erit numerus, non in patena, sed in pixide sacras particulas habeat, secùs verò si minor fuerit numerus.

verbis correspondeant.

NEc solùm Sacerdotes debito modo Sacrificium hoc offerre decet, sed, & Ministros etiam maxima qua fieri potest reuerentia illi cõuenit ministrare. Nouerint proinde Diaconi, & Subdiaconi, se Angelorum Ministerio esse consociatos, vt propterea Angelica illos puritate interiùs prælucere sit necessè: Veriùs enim est, quod si ipsi peccati mortalis conscientia grauati, tàm tre-

Dec. 27. Subdiaconi, & Diaconi mũda conscientia ministrẽt, nec peccati accedant.

tremendo Sacrificio asſiſtant Miniſtrãtes, ſe noui peccati mortalis vinculo innodari, ac labe fœdari, quo circà ſi opus illis fuerit, non niſi præuia Sacramentali Confeſsione ad Miniſterium hoc audeant accedere. Nec ipſi verò, nec Sacerdotis ſoccati accedant, quod intelligatur, tàm de ſolemnibus Miſsis, quàm de priuatis, ſub pœna duorum aureorum.

Dec, 28. De Clericis Miſſæ inſeruiẽtibus.

CLerici verò, non tantùm qui Sacerdoti ſolẽniter celebranti, ſed etiam Miſſæ Sacrum priuatim peragenti miniſtrant, non ſolùm decenter veſtibus debent eſſe compoſiti, & ornati, ſed maximè vultus modeſtia, & apta corporis compoſitione decorati. Non ergo tunc temporis per Eccleſiam vagentur, vel cum aliquo colloquãtur, ſed tota animi contẽtione munus ſuum religiosè exequantur, & cum Sacerdoti reſpondent, ne reſponſorium incipiant, antequam audiuerint completè à Sacerdote verſiculum prolatũ; & ſemper vtroque genu flexo in infimo altaris gradu ſe ſiſtant, non aſſurgentes, niſi dum Euangelium pronuntiatur, vel Sacerdoti erit aliquid adminiſtrandum, quod cùm offerunt, capitis inclinatione illi reuerentiam exhibeant, & ſemper ac illis ante medium altaris erit tranſeundum, genufle&ant. Quorum etiam partes erunt, ne Laici, præſertim fęminæ, propiùs ad altare accedant, procurare; & eundo per Eccleſiam, ante, & poſt Miſſam, graui inceſſu progrediantur, non longiùs quàm tribus cubitis à Sacerdote diſtantes.

Dec. 29. De Infidelibus dum celebratur, arcendis.

SI quando contigerit, in noſtra Diœceſi nobilem aliquem Virum, Seruũ aliquem ex Turcis, & Infidelibus poſsidere, hortamur, vt illum, quantùm poteſt, ad fidem conuerti procuret, in Eccle-

Ecclesiam tamen, dum Missæ sacrum peragitur, illum introduci, omninò vetitum esse iubemus: ab illis enim tantùm abest, vt aliquod religionis specimen (si genuflexerint) exhibeatur, vt vultus cæterorum Fidelium, oculosq; diuertant; & sic religio, & Christianorum pietas, nõ mediocriter perturbetur. Curati ergò, & Ecclesiarum Præfecti, illos sub pœna ducatorum decem ab Ecclesia omninò arceant.

Dec. 30. De Reuerentia sacris vasis exhibẽda.

QVia verò debetur etiam vasis sacris, præsertim Pixidi, in qua sanctissimum Sacramentũ asseruatur, & Calici, in quo pretiosus Christi sanguis à Sacerdotibus conficitur, honor maximus, & reuerentia, vnde, & adoramus etiã in loco, vbi Christi Dñi steterе pedes: Ideò si quæ est dãnabilis consuetudo, qua aliquis audeat sacris illis vasis ad alios, quàm ad sacros vsus abuti, vt illa omninò eradicetur; in virtute sãctæ obedientiæ præcipimus, quòd nullus audeat, neq; in Sacristia, neq; extra illã, in sacris Calicibus portare, præterquã cũ Sacerdotes, & alij in sacris cõstituti sacra sunt refecti Communione, vt ex illis purificari possint; Cõsiderantes præsertim, quàm grauiter fuerit à Deo punitus Balthasar, quòd sacris vasis de Templo Hierusalem asportatis, ad bibendũ in conuiuio fuerit vsus. Si quis ergò temerè in hoc deliquisse fuerit deprehẽsus, solutionis ducatorum triginta pœna mulctabitur.

Daniel. 5.



De Horis Canonicis.
Cap. VII.

Psalm.44. ADstitit Regina Ecclesia, illa Regis Regum Christi sponsa, Mundi Regina, à dextris ipsius in vestitu deaurato; & omnis gloria eius ab intus, quia Spiritus Sancti donis, & virtutibus omnibus pretiosissimè adest distincta, ac tessellata. Ecquis vnquam potuit tàm nitentibus illuminare gemmis coronam, qua augustissimum ipsius intimum caput pro sua cingitur maiestate? Externa tamen quoque ornamenta, ac ritus, sensibus ipsis subiectos, tanquam circumamicta varietate non despicit; præsertim eos, qui in diuinis externis laudibus, internam augentibus charitatem, cōsistunt. Ad quam perpetuò inflammamur, dùm continuò Hebræum illud verbum, *Alleluia*, quod est, Laudate Deum, nobis inculcatur. Neque enim propter aliud beatos nos in domo Domini, idest, Ecclesia Dei habitantes, vocat Propheta, nisi quia in secula seculorū ipsum laudamus. Corde ergò puro reddendum hoc Deo votum in Hierusalem, quia ipsum decet hymnus in Sion. Vndè iure optimo Dauidis exēplo admoniti Patres, ijs potissimum, qui in Clericalem militiam perpetuò sunt adscripti, beneficiumq. ecclesiasticum obtinent, vt septies in die laudem Deo religiosè persoluerent, imposuerunt. Si autem frugum primitias amauit sibi Deus offerri, quomodo non primitias etiam verborum, quæ ex corde nascuntur, exoptet? Quàm verò primitiæ istæ illi sint gratæ, aurea Chrysostomi verba exponant: Botrum, inquit ille,

Psalm.83.

le,& aristã suo terra mittit è gremio, alit pluuiarum irrigatio, colit agricolarum manus, at sacrum hymnum parit animi pietas, alit bona conscientia, Deus in cælestia recipit horrea,& quantò præstantior est animus terra, tantò hæc illa melior est oblatio. Cuius sacrificij præstantiam sanctus volẽs Psalmigraphus exponere, *Laudabo, nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude, & placebit Deo super vitulum nouellum.* Psalm. 68.
Pastorali ergo charitate occurrentes, Clericos omnes admonemus, vt non vocis tantùm modulatione, sed cordis deuotione debitum suæ seruitutis pensum absoluant, & ad diuina Officia peragenda corpore pariter,& mente se componant; quo simul, & Deo cultum grauem exhibeant, & Populi deuotionem valeant adaugere: Illud præ oculis habentes, quod si cor non orat, in vanum lingua laborat. Thesaurum ergo habentes virtutum in corde, ex illo, verba Canticorum quasi pretiosas debemus gemmas expromere,& ex interioris animi horto amęnissimo flores colligere, ex quibus odoriferum Cãticorum Deo sertũ offeramus. Sic enim per illa, salutares in nobis accenduntur effectus, cum Dei bonitatem prædicamus; cælesti admiratione afficiemur, cùm ipsius infinitam sapientiam, & potentiam commemoramus; & ad æterna præparata nobis bona maiore animi exultatione accendemur, cum ipsorũ memoria, ac, recordatio psalmorũ vocibus excitatur. Vos ergo præsertim Sacerdotes Dei ministros alloquor, qui peculiariter Choro adscripti, ad Diuinas laudes persoluendas estis destinati, dum superpelliceũ ad eum effectum induitis, cogitate qualem substineatis personam; ab

Syn. Magunt. cap. 53. ex Act. Eccl. Mediol. ibid. cap. 80.

omni nempè sorde, & labe, qualem vestitus ille indicat, depuratam, dum pelliceam almutiam, quod Canonicorum est insigne, humoris vel brachijs imponitis, ea vos cogitatio apprehendat, in vobis restinctas, ac planè mortuas esse oportere rerum mundanarum affectiones, sicut abiecta carne intermortui pellis significat animalis. Ob audite me Diuini fructus, Filij, in partem nostræ sollicitudinis vocati peculiariter à Deo in sortem suæ gratiæ cooptati; & quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate, odorem suauitatis habete, collaudate canticum, & benedicite Dominum in operibus suis, date nomini eius magnificentiam, & confitemini illi in voce internæ exultationis, & canticis labiorum. Sic enim quasi Libanus suauem Deo laudis odorem offeretis, & ex ore vestro lilia, floresq. pulcherrimos, Deoq. suauissimos proferetis.

Ecc.39.

Decr. 1. Innouatur decreta alterius Synodi circa obseruanda in Choro.

QVoniam ergo munus huiusmodi inter præcipua Clericorum officia est connumerandum, ideò Pastorali sollicitudine est incumbendum, vt qua maxima fieri potest pietate, & decentia præstetur, & Diuinæ Maiestati religiosè respondeat. Ideo primò innouamus, & quatenus opus est, iterum decernimus, obseruanda esse omnia, & singula, quæ in alia Synodo typis excussa sunt sancita, de necessaria Canonicorum in Choro præsentia, de eius modo, & pœnis absentium; de habitu decenti, & competenti modestia, de sollicitudine ad Diuina officia peragenda, de debita psallendi pausa, ac de ijs, quæ sunt in Choro canenda, iterum admonentes, pęnas à delinquentibus exactissimè esse per nos exigendas.

Dein-

DEinde precipimus, laudabilem illam consuetudinem inuiolabiliter obseruari, vt quoties ad Ecclesiam erit Clericis conueniendum, tantùm interualli fiat à primo ad vltimum signũ, vt etiam qui longiùs ab Ecclesia absunt, in tempore possint ad illam cõuenire: Antequam aliud faciant, adorent sanctissimum Sacramentum, ne scandalum Populo generetur; Inchoato autem officio, omnes in suis Subsellijs maneant, nec extra illa morentur, nisi vrgente aliqua recitandi Officij occasione; non oscitanter, & perturbatè canant, aut voces dissonas emittant; non concidant, aut deglutiant verba, sed decenter pronuntient: nec altera pars Chori versiculum incipiat suum, donec altera suum compleuerit. Omnes simul eadem verba proferant, nec vnus alium preueniat, sed morulam simul omnes interponant in dimidio versiculi, iuxta Breuiarij Romani interpunctiones, nec dum aliquid ab ijs recitatur, audeat vllus priuatim alias horas recitare, & dum est sedendum, omnes sedeant, dum standum, assurgant omnes.

Decr. 2. Quid seruandum dum Ecclesiã est Clericis cõueniẽdum. Et de psallendi disciplina.

Clem. V. in Concil. Vienn. in Clem. c. grauí. de celebr. miss. Nau. de horis Canonic. c. 17.

IN sedendo, stando, vel genuflectendo, decorem omnes seruent, non indecenter Subsellijs adhæreant, tibias non habeant incompositas, nec alteram super alteram iniectam; in demittendis, vel eleuandis sedilibus, non faciant strepitũ, & nemini liceat à Choro discedere, nisi Officio perfectè completo, & signo à Superiori Chori dato. Quod si vrgens aliqua necessitas ad discedẽdum adegerit aliquem, non nisi de licentia eius, qui Choro tunc præsidet, id faciat, & necessitati cum satisfecerit, ad Chorũ redeat, inanesq. discedendi causas nullus comminiscatur, nam etsi huma-

Dec. 3. Quod nõ strepant in Choro nec abeãt iniussi, præcipuè à Missa solẽni.

Clem. V. ibid. Act. Eccl. Med. p. 1. de celebr. Miss. cap. 24.

num, Diuinum tamen non possunt effugere iudicium. Sacerdoti verò solemnem Missam canituro,& Ministris,à Choro tandiù abesse licebit, quo commodè possint sacras vestes induere, & post illas depositas, aliquantisper in Sacristia orare. Hebdomadarius verò inchoaturus aliquam horam post Missam absolutam, id minimè sub grauissimis pœnis faciat, nisi postquam completo Euangelio Sacerdos debitam altari exhibuerit reuerentiam.

Dec. 4. De competẽti hora officiorũ à Prælato determinanda.

VT autem commoditas Populo, qui Diuinis officijs adesse præsens voluerit, non desit, & vt illa debito, & opportuno tempore recitentur, præcipimus R. Archipresbytero Ciuitatis nostræ Sancti Germani, & alijs aliarum Collegiatarum in nostris Castris, vt post quindecim dies à publicatione harum Constitutionum, schedulam faciant, in qua describantur distributiones horarum competentium, quibus singulis mensibus horæ Canonicæ recitari, & Missa solemnis debeat celebrari, illamq. nobis præsentent, vt à nobis approbatam, subscriptam, & nostro sigillo munitam, affigi faciant in Sacristiâ, vt inuiolabiliter, sub pœnis à nobis in illa præscribendis obseruetur.

Canonicos ad recitandũ Officium Diuinũ in Choro statis horis posse cõpelli, declarauit Sac. Cõg. Vid. addit. ad Quaran. v. hor. Can.

Dec. 5. De officijs recitãdis p octauã Corporis Christi.

RItum autem recitandi Matutinas horas cum Laudibus sequentis diei, post Completòrium præcedentis, in triduo ante Pascha, huc vsque seruatum, per totam Octauã Corporis Christi præcipimus etiam obseruari, vt ad Ecclesiam possit Populus conuenire, ad Indulgentiarum thesaurum à sanctissimis Põtificibus Vrbano IV. in litteris ab ipso editis, & Clemente V. in Concilio Viennensi concessarum, lucrifaciendum.

Et

Et vt multis Populi incommodis occurratur, iubemus, vt prædictis diebus ita Matutinum post Completorium recitetur, vt paulò ante Solis occasum, totum cum laudibus planè sit absolutum.

AD euitandum verò scandala, mandamus, vt si quis Clericus in Choro cum altero fuerit sinè Laicorum scandalo rixatus, duorum dierum distributionis amissione mulctetur. Quod si factum fuerit cum scandalo Laicorum, duorum mensium distributionem amittat, aliasq. nostro arbitrio pœnas iuxta delicti grauitatem incurrat. Atque vt Diuinum officium nulla ratione turbetur, volumus, vt nullus Sacerdos in altari maiori, dum horariæ preces persoluuntur, Missam celebret priuatam. Curet etiam Superior Chori, vt dum horæ diurnæ recitantur, vel Missa solemnis canitur, non intermisceantur in subsellijs Clericorum laici; cum hi soleant illos à debita attentione sæpiùs auocare.

Dec. 6. Pœnæ Clericorum rixantium in Choro De Missa etiã priuata in altari maiori ab officio separãda. Et ne Laici Clericorũ subsellijs sedeãt.

Conc. Turõ. 2. can. 3. Act. Eccl. Med. p. 1. de cel. miss. c. 24.

ET vt vniformiter ab omnibus Diuinum officium recitetur, præcipimus Sacristæ, vt Tabellam faciat, illamq. in Sacristia appendat, in qua describantur quænam alia sint sanctorum Officia, & sub quo ritu in hac nostra Diœcesi recitanda, præter ea, quæ præscribuntur in Breuiario nuper reformato, quam in vltimo huius capitis decreto præscribemus, à quo ordine non discedant omnes Diœcesis nostræ, qui Diuinum officium tenentur recitare, nec secundùm aliam normam dirigantur.

Dec. 7. Adsit in Sacristia Tabella Sanctorũ, quorum officium recitari debet præter pscripta in Breuiario Romano.

QVia verò domum Dei decet sanctitudo, cum sponsus eius Christus adoretur in ea, non permittant Sacristæ, & alij Rectores, in ea quempiam deambulare, nugari, circulos habere

Dec. 8. De Reuerẽtia Ecclesijs exhibenda, & Circulatoribus prohibendis.

bere, negotijs operam dare, cum mulieribus suspectis loqui, nec quempiam altaribus, & fontibus Baptismi, & aquæ benedictæ adhærere, aut irreuerenter ante sanctissimum Sacramentum sedere, vel dum in Missa eleuatur stare, nec cum venaticis canibus, & volucribus Ecclesiam ingredi. Extra illam verò non patiantur Circulatores, & simile hominum genus ante fores Ecclesiæ artem suam exercere, nec alios pila ludere, sclopum exonerare, vel aliud, vnde strepitus excitetur, dum Diuina officia recitantur, exercere: quod si secus facient, graui pęna punientur.

Cõc. Parisien. sub Greg. IV. lib. 2. c. 12.

Act. Eccl. Med. part. 1. de Immunit. Eccles. cap. 29 & de celebrat. missę cap. 25.

Dec. 9. De pœnis non persoluentium Canonicas horas.

NEc solùm qui Choro sunt adscripti, in Choro tenentur Officium recitare, exceptis ijs, qui legitima causa sunt impediti. Inter quos cõnumeramus etiam Confessarios, actu in Confessionibus audiendis implicatos, & Curatos, dum Sacramentorum vrget administratio; sed alij etiã in sacris constituti, vel beneficium ecclesiasticũ obtinentes: qui si non recitauerint, præter peccati mortalis reatum, erunt iuxta pęnas in Concilio Lateranensi à Leone X. inflictas, & à Pio V. innouatas, mulctandi. Quod etiam intelligitur de non recitantibus horas Beatæ Mariæ, quando ad illas ratione pensionis tenẽtur, iuxta eiusdem Pij Pont. Constitutionẽ. Pœnas autem non faciẽdi fructus suos, extendimus etiã contra eos, qui etiam infirmitate, vel quauis alia necessitate à Choro absunt, si aliàs non legitimè impediti, personale munus non consueuerant obire.

Concil. Later. sess. 9. cap. statuimus.

Pij V. bulla 1571. in Bull. fol. 1134.

Graff. l. 2. c. 9. nu. 9. part. 1.

Dec. 10. De excusatione à Choro.

ADuertentes prætereà tam eos, qui in Choro, quàm qui extra illum, Officium tenẽtur recitare, ipsos non ob leues, sed ob graues tantùm infirmitates ab illo excusari, & tunc de consilio Con-

Act. Eccl. Med. p. 1. de celebr.

Confessarij, & Medici, nisi euidenter agnoscat ipse infirmus, se grauiter laborare. Vnde eos, qui quartanæ morbo aliquando laborant, duximus admonendos, ipsos illo saltem tempore, quo non vexantur febri, minimè excusari; Quoad beneficiatos autem, intelligimus, quando percipiunt fructus ex beneficio, licet non sint sustentationi sufficientes, modò non sint tenuissimi: Quod si spontè ipsi nolint percipere, vel per alios percipiantur, tunc ab obligatione minimè sunt immunes.

miss. cap. 75. & p. 2. Syn. diœces. 4. dec. 20. Innoc. cap. 1. de celeb. miss. Panorm. ibid. Tol. l. 2. c. 14.

Palud. in 4. dist. 15. ar. 2.

Nauar. in man. cap. 25. n. 100.

Dec. 11. Quomodo solitariè, vel cũ socio, Officiũ Diuinũ sit recitandum.

ET licèt dũ priuatim Diuinum officium recitatur, possit vel in Ecclesia, vel domi, vel incedendo per viam recitari; laudabiliùs tamen est, vt vnusquisque habeat locum secretum, vel Oratorium, in quo maiori attentione, ac reuerentia suum possit pensum persoluere, ne de illo etiam dicatur: hic labijs Deum honorat, cor autem eius longè est ab eo. Et in recitando debitam seruet aduertentiam, circa verborum prolationem: qui enim verba non profert, aut cum alio recitans, propter nimiam celeritatem non expectat finem versus ab alio recitati, vel si hoc à socio audit fieri, & illum non reprehendit, hic precepto non satisfacit, & beneficij fructus suos facere non potest, cum suæ non satisfecerit obligationi.

Tol. l. 2. c. 13.

Isai. cap. 29.

Azor. l. 10. instit. mor. c. 15. q. 4. Nau. in man. cap. 10. nu. 80. Idẽ de or. c. 20 n. 31. Sot. dẽ Iust. l. 10 q. 5. ar. 5. cõc. 6

Azor. c. 12. q. 6

Dec. 12. Quid in fine officij debeat recitari.

COmpleto autem officio, à Dei conspectu non recedamus, nisi veniam pro commissis negligentijs petamus: Quod congruè fieri potest, orationem illam recitando, quæ incipit, *Sacrosanctæ, & indiuiduæ Trinitati, &c.* in fine etiam verba illa addendo, *Beata viscera Mariæ Virginis, &c.* quàm post Diuinum officium recitantibus

Nau. de Conf. disp. 1. c. quãdo, notab. 10.

bus, concessit Leo Papa X. omnium in recitando officio commissarum negligentiarum remissionē.

Dec. 13. Non pulsetur Cāpanæ Sabbato sancto, ante datum signum ab Ecclesia maiori.

In Conc. gen. Later. fol. 217 Bullar.

Sac. Cōgr. ita multoties resoluit.

SPectabilis illa Ecclesiæ Catholicę vnitas, cum optimè seruari non posit, nisi ab vno capite ordo totus membrorum diffundatur; vt debitus honor Matrici Ecclesiæ reddatur, præcipimus omnibus Ecclesiæ Rectoribus, etiam Regulariū, vt iuxta Constitutionem Leonis Papæ X. non audeāt in Sabbato hebdomadæ sanctæ signum campanarum dare, antequam illud dederint campanę Cathedralis Ecclesiæ in Ciuitate; vel in alio loco, Matricis. Et ne Populi deuotio in triduo eiusdem hebdomadæ sanctæ perturbetur, præcipimus Curatis, & alijs dignioribus de Ecclesia, vt consuetudinem illam pulsandi in officio tenebrarū, ad repræsentandum creatarum rerum in Passione Creatoris perturbationem, cum indecoro tumultu, præsertim dum ipsa Diuina officia recitantur, non permittant.

Dec. 14. Peculiaria nostræ Diœcesis officia recitanda.

TOto anni tempore, singulis diebus recitetur officium, iuxta præscriptum Calendarij initio Breuiarij Romani nuper iussu fel. rec. Clemētis VIII. reformati, præterquam signatis infra, diebus, in quibus in nostra Diœcesi officium volumus de infrascriptis Sanctis recitari.

Ianuario.

15. *S. Mauri Abbatis, discipuli S. Benedicti.* dup. 2. class.

Februario.

10. *S. Scolasticæ Virg.* dup. 1. class. de præcepto.

Martio.

12. *S. Gregorij Papæ.* dup. 2. class.

21. *S. P. N. Benedicti.* dup. 1. class. de præcepto.

Augu-

Augusto.

4. *Inuentio SS. Placidi, & sociorum Mart.* duplex.

. . . .

Octobri.

1. *Dedicatio Ecclesiæ Casinensis*, dup. 1. class. de precep.
22. *S. Berthary Mart.* dup. 2. class. de præcepto in ipsa Ciuitate nostra S. Germani.

Nouembri.

3. *S. Amici Monachi, Confess.* dup. de præcepto, sed hoc in Castro nostro S. Petri de Auellana.

NEc recedatur preterea ab ordine alterius Synodi, vt immediatè post commemorationẽ SS. Apost. Petri, & Pauli, faciant Sancti P. N. Benedicti commemorationem, tàm in Choro, quàm extra illum in Laudibus, & Vesperis, cùm fieri debent.



De Festorum celebratione. Cap. VIII.

Exod. 23. & 34.
Deut. 16.

TRibus præcipuis anni ſolemnitatibus, Hieroſolymis omne maſculum in Templo, coram ipſo apparere præcepit Deus. Primò, in feſto Paſchæ, quo exitus de Aegypto, & populi de Pharaonis ſeruitute liberatio celebraretur. Tum verò in Pentecoſte, vbi frugum erat meſsis primitiuarum. Tertiò, in feſto Scenophegiæ, ſeu Tabernaculorum, in gratiarum actionẽ, pro frugum toto anno collectarum perceptione. Non ſufficit tamen Chriſti ſanguinẽ redemptis, cum carnali illo Populo, ter ſolùm in anno, coram Domino ſiſti. Ceræmonia duntaxat illa fuit, quid nobis quotidie faciendum eſſet, per tropologiam adumbrans. Docet ergo nos trina illa totius anni feſtorum ſeries, per totum vitæ noſtræ decurſum, coram Deo eſſe ambulandum. In menſe igitur nouarum frugum, initio nempè vitæ noſtræ, quo per baptiſmum è dęmonis eripimur mancipatu, coram Deo primò ſiſtimur, cum ipſi aliena quidem fide, proprio tamen bono, incipimus adhærere: Tum verò quando doli capaces ratione rectè vtimur, panes ex prima fruge triticea formatos, fructus nempè noſtri matureſcentis anni, Deo offerimus. Vltimò verò, In vitæ, & anni noſtri clauſula, actiones gratiarum continuò meditari debemus, pro ipſa Fidei, Spei, & Charitatis frugum recollectione. Singulis ergo horæ momentis, in id voluntates noſtræ, actionesq. debent dirigi, quod diuinæ nouimus placere iuſtitię. Cum tamen ij celebrantur dies, quibus Martyrum victo-

victoriæ, aliorumq. recoluntur festa Sanctorum, vel quos illustriores nobis salutis nostræ Sacramenta fecerunt; diligentiori sollicitudine corda nostra sunt mundanda, & studiosiùs est exercendâ disciplina virtutũ, vt sicut ipsa mysteria sunt maiora, & festiuitas celebranda sublimior, ipse etiam qui celebrat, reperiatur ornatior. Si enim ipsam quoque Orationis domum, propensiore tunc cura, & ampliore cultu, quantum possumus, adornamus; quomodo non magis anima, quæ verum ac viuum est Dei templum, speciem suam prudenter exornet, & redemptionis suæ celebratura Sacramentum, omni circumspectione præcaueat, ne vlla eam ruga dedecoret, nulla macula iniquitatis obfuscet? Illa item verba sæpiùs animo expendenda, quibus per Isaiam Deus Sabbathum, & solemnitates docet esse colendas. *Si auerteris*, inquit, *à Sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaueris Sabbatum delicatum, & sanctum Domini gloriosum, & glorificaueris eum, dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris sermonem: Tūc delectaberis super Domino.* Si hęc à Iudæo, quid à Christiano efflagitabit Dominus? Auertat ergo vnusquisque in die festò pedem, manumq. suam, seruilia opera minimè peragat, cupiditatibus suis non obtemperet; in iuramenta, detractiones, prauaq. colloquia per otium non erumpat; Dominicum, festumq. diem delicatè obseruet; comessationes, turpia spectacula, lasciuiam, flagitiaq. declinet; peccata confessione obliteret; Missæ sacrificio, ac verbo Dei piè attendat. Sic enim in die festo non in baratrum peccatorum descendemus, sed, vt decet, cælestem

Leo ferm. 3. de Quad.

Isai. 58.

Hie-

Hierosolymam ascendemus, qua æterna possimus frui tranquillitate. Sic enim tres illas totius anni festiuitates, singulis festiuis diebus recolemus, vt mane nos Deo totos offeramus, in diei decursu sæpè præsentiam Dei recogitemus, in occasu pro acceptis beneficijs gratias agentes. Sic enim magnos, & multos manipulos Deo poterimus offerre virtutum, si ipsis festiuis diebus cum Propheta, verba illa sincerè canemus: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper.* Et ipse benignissimus Deus à dextris erit nobis, ne commoueamur. Vt ergo debitum, in festiuis diebus, Diuinæ maiestati honorem exhibeamus, infrascripta de festorum celebratione, obseruanda esse mandamus.

Psalm.

Dec. 1. Clericis singulis diebus festa sunt agenda.

PRimò Clericos omnes admonemus, quoad cultum Diuinæ maiestati præstandum, non statis anni temporibus, sed singulis diebus ab ipsis festa esse celebranda. Neque enim ob aliud, sanctissimus ille Pontifex Siluester, Sabbati, atq. Dominicæ nomine retento, reliquos hebdomadæ dies, feriarum nomine voluit appellari; nisi vt significaretur, quotidie Clericos, abiecta terrenarum rerum cura, vni debere prorsus Deo vacare. Has ergo à terrenis sollicitudinibus ferias maximè Sacerdotes, & Religiosos viros agere oportet, si voluerint quàm suauis est Dominus, degustare. Mandamus item, vt omnes ecclesiasticæ functiones, quæ diuersis dierum spatijs sunt exercendæ, illæ non describantur sub nomine stellarum, sicut vulgus more gentilium seruat; sed sub nomine Feriarum, Dominicæ, & Sabbati.

Ration. Diu. off. lib. 8. c. 5. num. 2.

Act. Ecc. Med. 1. part. de fer.

Dec. 2. Parochi mo-

POrrò, præter obseruanda in festorum celebratione, quæ in alia Casinensi Synodo sunt sancita,

ciis, mandamus animarum curam gerentibus, vt populum eo tempore doceant, debere diuinis officijs, & concionibus audiendis frequẽter adesse; atque in precibus effundendis, & Dei maximis beneficijs recolendis versari. Et cùm ad celebrandas Dei, & Sanctorum laudes, dies illi sint instituti; curandum diligenter, ne ijs quisquam ad diuinam offensionem, & animæ suæ perniciem abutatur. Moneant item inuiolabiliter esse obseruanda festa, quæcunque sub præcepto præscripsit Ecclesia seruari. neãt populum festis diebus diuinis rebus incumbere.

SEuerè igitur, & districtè mandetur, vt populus à saltationibus, Choreis, commessationibus, & ludis, alijsq. profanis actionibus desistat; Quod districtiùs obseruãdũ in solẽnioribus diebus, præsertim in Quadragesima occurrentibus. Cùm enim tempus illud sit pœnitentiæ, & ad sanctè recolẽdum Christi Dñi Passionẽ, & mortẽ institutũ; ab omnibus spectaculis, & ludis ex morum corruptela introductis, est abstinendum, nec vlla quauis ex causa, licèt videatur rationabilis, Missa relinquenda. De quo monẽdi, præsertim sunt illi, qui tunc temporis sunt iterfacturi, ne discedant, antequam Missæ sacrificio interfuerint, nisi, & statuerint firmiter audire alibi, quò sunt profecturi, vbi sacrum fieri pro certo sciant. Dec. 3. Nec profanis vacandum, nec ante Missam auditam iterfaciendũ.

MOneantur item Tonsores; illis nullo pacto licere, tunc artem suam exercere, nisi euidens infirmitatis necessitas, Medicorum arbitrio iudicanda, cògerit; Muliones etiam, ac iumentorum ductores, ne merces, fruges, aliaq. similia vehant; Molitores, frumentum non asportent, farinam ne purgent; Agricolæ ab aratione, putatione, vindemia, & alijs suis operibus abstineant; Dec. 4. Tonsores quoque, ac Molitores vacẽt in festo.

neant; nullum denique fiat opus, diebus festis fieri vetitum, nisi tanta vrgeat necessitas, vt differri nequeat, & tunc non nisi post Missarum celebrationem, habita prius à nostro Generali Vicario facultate. Quod si secus facient, trium carolenorum pœna mulctabuntur.

Dec. 5. Moneant parẽtes filias ipsorum nubiles a Missæ audiẽdæ præcepto non excusari.

QVia verò deprauata illa inoleuit cõsuetudo, vt parentes filias suas nubiles, Ecclesiam, ad Missam diebus festis audiendam, non permittant adire; Ideò sedulò, & grauiter coërceantur à Confessarijs, & à Parochis moneantur, id minimè sine peccati grauis incursu illis licere; Sub cuius pœna eædem puellæ tenentur parentibus instare, vt illas frequentare Ecclesiam permittant; Quod si per illas hoc pacto non steterit, excusantur quidem illæ; parentes tamen ipsi, grauiorẽ de facto hoc, erunt Deo rationẽ reddituri.

Dec. 6. Dominicis diebus debet populus ad Parochiale Ecclesiã conuenire.

DOminicis verò diebus, cum in Parochialibus Ecclesijs festa, & ieiunia denuntientur, quæ sequenti hebdomada sunt seruãda; Ideò monendus est populus, vt saltem illis diebus, suam propriam Ecclesiam frequentet; Nõ enim à peccato est immunis, qui ex contemptu propriam dimittit; præsertim si ex dimissione scandalum sequatur, dum in illa denuntiantur ea, quæ quilibet parochianus tenetur scire. Missæ item toti, omnes intersint, & sciant, ex notabilis partis dimissione, præcepto Ecclesiæ minimè satisfieri; Et quod securiùs est, partem dicimus intelligi notabilem, quando incipit præsens quis adesse, *Epistola* iam recitata.

Dec. 7. Appendatur in Ecclesia tabella festorũ.

ATque, vt dierum festorum, ad quorum cultum, & Sanctificationem ex Ecclesiæ præcepto, vel ex antiquata consuetudine, voto publico,

blico, aut nostro mādato in Ciuitate S. Germani, ac tota nostra Diœcesi, populus nobis subiectus tenetur, Cathalogus non ignoretur: exemplar volumus in tabella affigi, & in commodiori loco publico Ecclesiæ perpetuò asseruari. Ad cuius obseruationem Regulares etiam omnes, cuiuscunque Ordinis, & Instituti in nostra Diœcesi degentes, teneantur.

Dec. 8. Festum tituli Castri, & cætera festa consueta, seruent.

Tituli præterea omnium Ecclesiarum Parochialium, omnium Castrorum, & Terrarum, nostræ Diœcesis, ab incolis illius Terræ, vel Castri, de præcepto seruentur: In quibus ab animarum curam habentibus admoneatur populus, ne quis in fraudem ad opus aliquod seruile exercendum, aliò illis diebus diuertat. Et si quod aliud præterea festum, quod, vel publico voto, vel ex antiqua deuotione solet populus nobis subiectus de præcepto seruare, deuotio hęc à nobis maximè commendatur. In horum autem dierum obseruatione, ad omnem abigendam ambiguitatem; declaramus, abstinentiam ab operibus seruilibus intelligi sub præcepto, à media nocte, quæ illius diei celebritatem proximè præcedit, vsque ad mediam noctem sequentem. In quo ne error contingat, præcipimus Parochis, vt populum singulis mensium exordijs doceant, quodnam in illo mense noctis dimidium intelligatur.



De Ieiuniorum obseruatione. *Cap. IX.*

IRruant, magno velut agmine facto, iniqui hostes; pericula circumquaque, & impugnationes, cuniculis effossis, mundi vulpeculæ effodiãt; blandis lasciuiæ illecebris, veluti stimulis, eò acrioribus, quò dulcioribus adulerur caro: quàm tamen hebes sit suorum telorum acies impulsa in viros, abstinentiæ clypeo, & ieiunij lorica communitos, hostes ipsimet ita comprobant, vt arma deponere, victos se fateri, ac triumphalem ieiunantium currũ cogantur pręcedere catenati. Sed qualia, inquiunt heluones, poterit vnquam fortitudinis arma, ieiunij infirmitas suppeditare? O ventris mancipia; Nunquid carnis pinguedine, & non magis spiritus robore, aduersus ipsius spiritus inimicos est certandum? Castra, inquit Ambrosius, sunt nobis nostra ieiunia; Ipsa nos muro circumcingunt inexpugnabili, & ab inimicis intransgressibili. Sunt quidem castitatis prælia durissima, vbi qnotidiana pugna, & rara est victoria; verùm castitatis iugo, belligerantem carnem submittit ieiunium; Ipsum enim concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, charitatis verum lumen accendit. An non, vt securi iter agamus, cibaria ferocienti subtrahimus equo? Caro nostra iumentum nostrum est, iter agimus in cælestem Hierusalem. Plerumq. nos equus iste gestit præcipitare; de via, qui Christus est, conatur excludere; vires equi istius exultantis, ieiunijs cohibeamus; Si enim, vt beatus inquit Nilus, vires ipsius non fran-

Serm. 25.

Aug. ser. 250. de temp.

Idem ser. 230.

Orat. 1. aduer. vitia.

frangamus, sed ipsum pinguescere sinamus, & robur recuperare; validiùs in nos cõsurget, nosq. tandiù bello vexabit, quòad animam reddat captiuam, Luxuriæq; subijciat dominationi. Seruiat venter, non dominetur. Si enim dominari illum vnquam permittemus, sicut princeps Nabuzardan, muros destruxit Hierusalem; ita venter, cui diligenti à coquentibus cura seruitur, animæ nostræ virtutes euertet. Igitur corpori quidem, & vitijs cibum detrahit, animo verò, & virtuti escam præbet ieiunium; Ipsum enim ad diuinam doctrinam capiendam, vt ex Danielis, & trium puerorum facto docti sumus, reddit limpidiorẽ. Est item aduersus dæmonum insidias inexpugnabilis armatura, ad quod non solùm Apostolorum, Martyrum, aliorumq. Sanctorum exemplo, sed Christi ipsius facto præeunte cõmunimur. Christus, inquit Basilius, non priùs in carne, diaboli excepit insultus, quàm eam ieiunio roborasset: Nos erudiens, vt nosmet aduersus tẽtatoris conflictus, more palæstritarum vngamur. Non negamus quidem, dum ad ipsum à Christo inuitamur, nos in desertum, & ad laborem à Spiritu sancto duci, fælici tamen afflatu fęliciter nauigamus. Hilari ergo animo sequamur ducentẽ: Licèt enim nos vocet ad labores, tales tamen sunt illi, vt sicut post illos Angeli Christo ministrantes accesserunt; ita nostros etiam, mensa concludat Angelica.

Leo ser. 2. de Ieiun.

Basil. homil. 1. de Ieiun.

Dec. 1. Parochi incitent Populum ad ieiunia obseruanda.

QVò ergo Christi milites alacriores ad arma hæc, contra communes hostes capessenda incitentur, ab ijs qui Animarum gerunt præfecturam, sedulò moneantur, inter ea, quæ ad refręnandã carnis petulantiam faciũt, plurimùm,

ieiunio principatum esse deferendum. Licèt enim Vigiliæ, asper vestitus, externus corporis labor, & his similia carnis sensum còerceant, non tamen ea vi, ac successu, quo ieiunia faciunt continuata: Vt Eræmi cultores, illa quidem non neglexerint; hæc tamen tanquã validissimum aduersus omnẽ diaboli, carnisque insultum, in prima semper acie, præsidium collocarint: vt non solum illa, quæ necessitatis dicuntur, nempè quæ Euangelica, & Ecclesiastica lege sunt sancita, ieiunia obseruarint; sed alia quoque supererogationis, quæ scilicet spontè, & nulla cogente lege, vel vrgente præcepto susceperint.

Dec. 2. In Ieiunijs pricipaliter ieiunandum à peccatis.

AT quia frustra corpus ieiunijs affligitur, nisi animus sectando iustitiam à culpa ieiunet; monendus etiam est Populus, non esse nobis cum hypocritis ieiunandum, vt Sanctimoniæ, quam non habemus, opinionem apud imperitam turbã nobis comparemus; Neque cum ijs, qui ventri, & gulæ sunt dediti, vt maiore inde auiditate, & voluptate liguriant; Nec cum auaris, vt sumptibus parcamus; Sed cum pijs hominibus, vt Deo, & Ecclesię satisfaciamus, legi de Ieiunio latę pareamus, atque insurgentes inordinatos carnis motus, ieiuniorum vi comprimamus. Sic enim ritè, & nisi peccatum aliquod obstet lęthale, meritoriè ieiunabimus. Nec tamen propterea, si quis se peccatis noscat mortiferis irretitum, ieiunium debet indictum prætermittere; quinimò, ne nouo se contaminet scelere, illud accuratiùs obseruare satagat: vt Dei gratia præuentus, à peccatis resipiscat, & spiritualibus exercitationibus incipiat assuescere.

Et

ET licet in alia Synodo Casinensi, quinam sint dies seruandi, in quibus, & à vetitis cibis abstinendum, & ieiunandum præscribatur; vt tamen expresiùs, & clariùs innotescant, hic iterum reponi mandauimus. Igitur feria quarta, sexta, & Sabbato, indictum est ieiunium Quatuor Tēporum *Hyemalium*, Post festum S.Luciæ, *Vernalium*, Post primam Dominicam Quadragesimæ, *Aestiualium*, Post Dominicam Pentecostes, *Autumnalium*, Post festum Exaltationis Sanctæ Crucis.

Dec. 3. De diebus in quibus de præcepto est ieiunandum, vel à carnibus abstinendum.

Cap. 1. cū seq. 76. dist.

Præterea toto tempore Quadragesimali singulis diebus ieiunatur, exceptis Dominicis, in quibus tamen à carnibus, & omnibus ijs, quæ à carne trahunt originem, est abstinendum. Vigilia item Natiuitatis Domini, Vigilia Pentecostes, Vigilia Ascensionis Domini, Assumptionis Beatæ Virginis, Vigilijs SS. Apostolorum (exceptis Vigilijs S. Ioannis Euangelistæ, & SS. Philippi, & Iacobi) Vigilia Omnium Sanctorum, Vigilia Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ, & Vigilia S. Laurentij Martyris. De quibus intelligitur, modò non contingant die Dominico; Tunc enim, iuxta Innoc. III. Constitutionem, in præcedenti Sabbato ieiunatur. Singulis verò totius anni sextis ferijs, & Sabbatis, si non à lacticinijs, à carnibus tamen est abstinendum; modo non incidat in aliqua ex illis festum Natiuitatis Domini; Tunc enim iuxta Honorij III. Constitutionem, æsus carnium ijs, qui vel voto, vel Regulari obseruantia non tenentur, conceditur. Moneatur tamen populus, hoc, illo die non præcipi; Vnde nō sunt reprehendēdi ij, qui deuotionis causa, eo etiam die, voluerint abstinere.

Can. Apost. 68.

Glos. c. scire debet 76. dist. & cap. nosse cad. dist.

Cap. exparte de obseruat. Ieiun.

Cap. 3. eod. tit.

Cap. Sabbato, & cap. Ieiun. de Cōs. dist. 5.

Dec. 4. Medici sine vrgenti causa æsu carnium nô dispensêt.

PRæter illa autem, quæ circa ieiunorum obseruationem in alia Synodo sunt sancita, illud maximè inculcandum videtur, & districtiùs præcipiendum; vt Medici non facile ijs annuant, qui ipsorum petierint attestationem, qua fides fiat, illis obesse ieiunium, & vetitorum ciborum abstinentiam; Quod si absque necessaria, vrgêteq. causa id fecerint, nefario etiam ipsorum sceleri communicabunt. Moneant etiam infirmos, statim cessante causa, propter quam licentia illis fuit concessa, ad abstinentiam illis esse redeundum. Ij autem, quibus huiusmodi facultas fuerit concessa, moneantur, ne publicè, sed priuatim in secretiori domus parte carnes comedant, & id cum aliquo animi dolore faciant, quòd cęteris in sacra abstinentia nequeant communicare.

Dec. 5. Lanij, & Caupones Carnes in Quadragesima, nec vêdât, nec apponant; & à peregrinis etiam licêtia in scriptis exigatur.

IN locis verò, in quibus ob infirmorum necessitatem, vetitos cibos in Quadragesima vendi, fuerit à nobis permissum; non vendantur nisi carnes, & alia ad similes vsum necessaria. Nec alijs, quàm ijs, qui similem facultatê à nobis habuisse, in scriptis ostenderint. Quo circa Cauponibus, sub grauissimis pœnis sit interdictum, illo têpore cuiquam (etiam aduenæ) vetitos cibos comedendos apponere, seu vendere, vel permittere, vt aliunde asportati comedantur; nisi expresè facultatem in scriptis ostenderint.

Dec. 6. Ieiunij præceptum quomodo obliget.

QVia verò multæ à Doctoribus solêt assignari causæ, à ieiunio excusantes; Confessarij moneât fidelem populum, illas excusare quidem, quando vtrique muneri, & præcepto scilicet, & operi non poterit simul satisfieri; Qui enim vtrunque absque sanitatis læsione præstare possunt, à ieiunij lege minimè excusantur. Et licet

adole-

dolescentes ante vigesimum primum annum à
ge Ieiunij sint immunes; à vetitis tamen cibis
st illis post annum discretionis abstinendum.
Optimum tamen illis erit remedium, ad carnis
etulantiam coërcendam, si aliquando ieiunent:
sic enim etiã à teneris assueti, alacriùs, & absque
corporis, & animi molestia, poterũt, obligationis
tempore, ieiunij leges sustinere. Item admonendi
sunt, tempore Iubilei, non obstante, quòd aliàs
à Ieiunij lege sint immunes, teneri tamen eos;
quia aliàs Indulgentiam peccatorum minimè lucrifacient.

Azor. tit. 1. li. 7. c. 18. q. 3.

De Sanctorum Reliquijs, Sacris Imaginibus, & earum veneratione. Cap. X.

EA fuit humanæ fragilitatis conditio, vt non priùs ad æterni illius diei sempiterna gaudia perueniremus, quã per huius seculi noctẽ peregrinaremur: At, quod magis est lachrymabile, succrescentibus singulis horæ momẽtis peccatorum nostrorum vmbris, & recedente à nobis Iustitiæ Sole, fiunt in huius seculi nocte, viæ nostræ tenebræ, & lubricum; Per peccatorum quippe lasciuias ambulantibus, non est in nobis substantia, vt quotidie occasionem nactus, non sistat Angelus Sathanæ nos persequi, & còarctare, vt in limo profundi infigamur. Sed ecce mitissimus Deus, qui nubem quotidie expandit in protectionem nostram, nubem, inquam, gratiæ suæ rore refertam, ignis fulgorẽ facit ante nos præcedere, vt luceat nobis per noctem. Habemus enim lucernas ardentes, cum prælucent nobis Sanctorum opera, quę suo splendore noctem illuminant, vir-

tutesq. vitiorum caligine obumbratas ostendunt: Vt enim Stellæ noctem, ita Sancti, dum virtutum decorem ostendunt, præsentis vitæ noctem illuminant. Vis innocentiam? Cerne præeuntem Abelis facem. Vis spei tibi longanimitatem insinuari? Noemum inspice. Manifestabitur tibi mandatorum diuinorum obedientia, si Abrahamum; Inuicta in aduersis patientia, si Iobum perspexeris. Inspice prudentes Virgines, aptantes lampades suas; Confessores, Operum suorum lucernas non sub modio, sed super Candelabrum, vt tibi Ecclesiæ luceant, collocantes. Considera gloriosum Apostolorum Chorum, Martyrum inuictum, & candidatum exercitum, vt, & tu ipse posſis Animæ tuæ Stolam in Sanguine Agni dealbare. Vis denique lucidiſsimam facem, omnium virtutum splendore collustratam? Oculos in nouum illud, & magnum Mundi miraculum conuerte; Illam Virginem Sacratiſsimam intuere; Illum gratiarũ fontẽ irriguum nõ desinas rimari. Illa velut Luna pulchra, imò Lunam ipsam sub pedibus tenens, tanquam luminare huius seculi, nocti præest; Ipsa electa, vt Sol, & Sole ipso amicta, totius veri luminis erit liquidiſsimus nobis fons, & origo; Vt vbi priùs peccatorum nostrorum tenebris obuallati, extinctæ in nobis diuinæ Gratiæ luci, atrato amictu parentabamus, noctem ita vertat in diem, vt nosipsi vnà cum lumine vitam recepisse, atque è tenebris iterũ in lucem erupisse videamur. Sint igitur Sancti fidiſsimi ad virtutes, ad æternam Patriam, ad Christum Ductores; à quibus per Fidem, Spem, & Charitatem nobiscum consociatis in manibus portabimur, ne vnquam pedem nostrum ad lapidem offendamus. Si enim propter

Pau-

Paulum seruauit Deus simul cum eo nauigantes, quomodo non donabit, & ipsi, & alijs seruis suis, vt propter ipsos, nos procellosum huius vitæ pelagus enauigantes, ipsius vorticibus non absorbeamur, sed securi tranquillissimum Cęlestis Hierosolymæ portum teneamus? Si item tantum valuit apud Christum, illorum, qui paraliticum portabant, Fides, vt propter illos paralitico tribuerit incolumitatem; quanti apud illum ponderis erũt Sancti, qui continuò diuino ipsius perfruuntur aspectu? Propterea ergo Sacras ipsorũ Reliquias, multiplicia in nos beneficiorum genera scaturiẽtes, nobis summa Dei bonitas dereliquit; vt ijs præsidijs ad eum in necessitatibus confugientes, facilè voti compotes esse possemus. Vnde Concilia, & Patres Diuino aflati numine indubitatam Catholicis veritatem proposuerunt, Reliquias nempe Sanctorum, siue partes fuerint ipsorum, vt carnes, ossa, & cineres, siue res aliæ, quæ ipsos tetigerunt, esse adorandas. Vt autem eas, quæ ad Christum pertinuerunt, omittamus, cuius Sepulchrum futurum gloriosum prædixit Isaias, Cinctoria, & Sudaria Pauli, super ægros deferebantur, & recedebant languores ab eis, & Spiritus nequam egrediebantur. Certatim etiam adducebantur ægri, vt vmbram Petri attingerent, & sanarentur: attingebant, sanabantur. Edidit porrò miraculum Deus, in honorem Elisei, suscitando mortuum, cuius cadauer ossa tetigerat Prophetæ. Corpus item Moysi Angelorum ministerio Deus voluit sepeliri. Iosias item Rex cùm idololatriam vellet, & superstitionem euertere, combustis corporibus omnibus, in Monte sepultis, ossa tamen Elisei Prophetæ seruauit intacta.

Act. 27.

Glos. Ordin. Matth. 9. Ambr. Lucæ 5. Chrys. Ser. 50.

Cõc. Grãgen. cap. 5. 7. Synodus. Act. 7. in defẽ. Fidei. Conc. Afric. 5. can. 4. Brac. 3. can. 5. Ephes. can. 25. Mogũt. can. 51 Later. sub Innoc. III. can. 62.

tacta. Cesset in his omnibus admiratio, taceant impuræ hæreticorum linguæ. Cur enim hæc non ritè facta putentur, cùm Sancti, dum viuerent, habitaculum fuerint Altissimi, Montesq; in quibus beneplacitum est Deo habitare in eis. Nec solùm in se ipsis Sancti adoratione sunt digni, sed in Sacris etiam suis Imaginibus; vt, & illis signa seruitutis, & submissionis ritè sint exhibenda, adoranda item amplexu, capitis inclinatione, ac suffituum oblatione. Si enim regis Imaginem ob ipsam regiam Dignitatem, quam repræsentat, in honore habemus; quomodo non magis Sanctorũ Imagines adorabimus, per quas ad ipsorum Sanctorum imitationem, verumq. pietatis cultum promouemur? An non, inquit Theophanes Niceę Episcopus, Natura nos docet, quòd imago eius qui se spectat, & intuetur in speculo, semper est cum prototypo, ex eoque dependet, in aliena alióquin materia inseparabiliter? Neque potest imago, quæ in speculo apparet, macula, vel labe conspergi, aut ornari, nisi priùs facies ipsa aspergatur, & ornetur. Per Sacras igitur Sanctorum Reliquias, per Sanctorum Imaginum adorationem, cum Sanctis ipsis amicitiam confirmemus, vt vnde illi gaudent, inde, & nos gaudeamus. Ipsorum diuitias concupiscamus, & per bonam æmulationem suffragia perquiramus. Cum quibus enim fuerit nobis consortium deuotionis, cũ ijsdem etiam erit, & communio Dignitatis.

Dec. I. Curati studeãt ijs, quæ circa hæc sancita sunt in Cõcilio Tridétino.

Is igitur, quæ in alia Casinensi Synodo sunt de sacrarum Reliquiarum, & Imaginum veneratione determinata, hæc insuper inuiolabiliter obseruanda visum fuit adiecta decernere. Primò, vt Parochi, alijq; animarum curam habentes,

tes, ijs quæ à Sacrosancto Concilio Tridentino sunt de Reliquijs, & veneratione Sanctorum sancita, frequenter studeant: & de ijs Populum admoneant: docentes eos, Sanctos vnà cum Christo regnãtes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; vt propterea valde proficuum sit hominibus, eos iugiter inuocare. Et vt impetremus à Deo beneficia, ad eorum orationes, opem, atque auxilium esse confugiendum; Quod per venerationem præsertim fit sacrorum corporum eorum, qui cum Christo viuunt, qui dum viuerent, membra fuerunt Christi, & Templum Spiritus sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda, & glorificanda.

Dec. 2. Reliquiæ in decoris Thecis asseruãdæ, & in solemnitatibus tãtùm exponendæ.

VNde sacra illa pignora non solùm in decoris vasculis sunt asseruanda, sed nec temerè, ad quæstum, aliavè consimili causa, detegenda: Verum, solùm in Ecclesiæ solẽnitatibus, ad pietatem excitandam, & cum solemnes sunt celebritates, in altari, summo cũ decore, exponenda. Ad quod dum feruntur, fiat semper hoc per Clericos in sacris constitutos, superpelliceis indutos, cum cereis accensis. Quod iddem seruetur, dum reponuntur, nimirùm in Armario congruo, & decenti, ligneis tabulis contecto, pannoq. serico circumuestito, claui, per Sacristam seruanda, communito, ac benè clauso; ne vasa, quibus asseruantur, pulueris sordibus inquinentur. Ex vasculis verò nunquam, sub pœnis grauissimis, expromantur, vt nudæ laicis ostendantur.

Concil. Later. sub Innoc. IX. cap. 62.

Dec. 3. Priuata authõritate non sũt nouæ reliquiæ proponendæ.

AT verò quia Reliquias, ac si Sanctorum essent, quidã leui ratione recipiũt, ita vt Christianæ Religioni sæpiùs detrahatur; sub pœna incarcerationis per sex menses, & solutionis ducatorum quin-

quinquaginta, præsenti Decreto mandamus, nullus, siue Clericus, siue Laicus, quantauis thoritate præfulgeat, in posterum audeat no Reliquias adorandas proponere, nisi Sanctissi Romani Pontificis authoritate fuerint approb tæ, vel à nobis recognitæ, iuxta authoritaten nobis à Sacro Concilio Tridentino traditam. tunc statim in libro Reliquiarum, cuius exep apud nos asseruetur, describantur.

Cap. Cũ ex eo, de Reliquiis, & Concil. Later. ibid.

Seff. 5. de Vener. sanct.

Dec. 4. Qua ratione liceat in priuatis ædibus reliquias haberi, aut circumferri.

At quoniam, sicut animæ ipsorum in cæl aula sedem obtinuerunt perpetuam, it conueniens etiam est, ipsorum corpora hic in t ris, in honorificis, & sacris locis asseruari; Id præcipimus, vt Laici illas in priuatis ædibus, i quibus plerunq. sordidæ exercentur actiones, detineant; sed, si qui illas obtinent, Ecclesijs, bis priùs consultis, donent: Ex quibus ampliùs trahi, & ad ægrotos deferri non permittimus, solùm procesionaliter, vbi est talis consuetu per Ciuitatem, & Castra deferri, vt iterũ ad e dem Ecclesiam, sicut priùs asseruandæ, & cus diendæ reportentur. In priuatis verò Orato illas asseruari, nostro arbitrio aliquando perm ti poterit, modò sit locus tutus, ornatus, & à nobis posit visitari.

Dec. 5. Tutius est, si in collo suspensæ non gestentur.

Quamuis autem non sit peccati nota dign qui sanctorum Reliquias in collo susp sas gestare voluerit, sed sit laudabil modò id fiat deuotionis causa, & vt faciliùs is, reuerentiam illorum Sanctorum, à peccatis p petrandis coërceatur; securiùs tamen est, illas deferre, præsertim, si id pompæ, & inanis glo causa fiat; Sed non propterea talibus concedit illas publicè adorandas exponere, sed priua

Antonin. 3. p. tit. 12. cap. 8. Sum. Armil. v. Reliquiæ. Nau. c. 11. & 35 Angel. summ. v. Reliquiæ. Cõc. Brach. 3. cap. 5.

pie

ate reuerentiam solùm illis exhibere.

Vm verò Populus deuotionis, ac Religionis causa suas coronas, vel aliquid aliud pretium voluerit vasculis illis, & loculis admoueri in quibus sacræ Reliquiæ conseruantur; id non ipsorum Laicorum opera, sed solùm Clericorum, superpelliceis indutorum ministerio. Et tunc stimabit Populus nihil virtutis, vel excellentię rporeæ in res ipsas ex sanctorum Reliquijs deiare, sed in illis remanere tantùm respectum endam, quo in nobis ipsius Sancti memoria extetur, & ad ipsius venerationem affectus motatur. Sic enim Christianæ pietatis, ac veræ regionis opus debet iudicari.

Dec. 6. Non tangãtur Reliquiæ a laicis, ad attingendas coronas.

Vasq. de adorat. li. 3. d. sr. 4 cap. 2.

EXtra solemnitates maiores, vel celebritatem illius Sancti, cuius sunt Reliquiæ, minime absque graui causa exponantur; & tunc dum reponuntur, & reconduntur, hymni Sancti ipsius conuenienter canantur, tum verò antiphonæ, & oratio eiusdem, cum thurificatione facienda per Clericum, saltem Diaconali ordine insignitum. Quod idem erit seruãdum, etiam si ipsæ Reliquię non in altari, sed in ipso eodem loco, in quo asseruantur, erunt Populo ostendendæ.

Dec. 7. Dum ostendẽtur, hymni decantentur, & antiphonæ.

Act. Ecc. Med. p. 1. tit. de reliqu. cap. 21.

Ibid. cap. 23.

NEc absimili veneratione sacræ sunt Imagines recolẽdæ. Ipsarum nempè vsus semper Christiano Populo extitit vtilissimus, cum ipsarum adminiculo ad ipsorum Sanctorum imitationem, verumquè pietatis cultum promoueantur, & in ipsis, quidnam sectari debent, proponatur. Vnde iterũ districtiùs prohibemus ea, quæ Christianæ pietati, & honestati, aut Sanctorum ipsorum dignitati aliqua ratione aduersantur: Ne vnde ad religionem, & pietatem sumus incitandi, inde

Dec. 8. Pari veneratione colendæ sũt sacræ Imagines. Et Crucis signa non humi, & sordidis in locis fiant.

Act.Ecc.Med. p.1.de reliqu. & Vener.sanc. c.1.31.& de Ecc.adif. c.5.

inde lasciuiæ, & irrisionis sumamus occasionem Itē mandamus, sub grauissimis pœnis, vt id quo pro sacrosanctæ Crucis adoratione est seruādum inuiolabiliter obseruetur, vt nec humi expona tur, nec in sordidis, & aliqua labe inquinatis lo cis, quod iddem de Sanctorum Imaginibus est sul grauissimis pœnis obseruandum.

Dec. 9. Insolitæ Imagines vetāt.Et pictores exēplar pingendæ figuræ ad nos præsentent.

INsolitæ imagines, ac nouæ, Populo minime proponantur, nisi à nobis diligēter priùs fue runt inspectæ. Quantum autem ad ipsarum pin gendarum rationem, modumq. spectat, pictor bus, atque sculptoribus expresſè mandatur, v nobis exemplar figuræ, vel statuæ priùs exhibea tur: vt cum nostra facultate illas siue sacras, f ue profanas conficiant. Quibus insuper mand mus, vt sacræ Imagines ab illis sic conficiantu vt illarū aspectus turpitudinis cogitationē asp cientibus mouere non possit. Et pictores ipsc etiam admonemus, ne dum artis potiùs ostentar dæ, quàm deuotionis excitandæ ratio habetu contrarium omnino finem, Ecclesiæ fini cons quantur.

Trid. sess.25. Dec. de sanct. inuoc. versus finem.

Dec.10. Honor Imaginis refertur ad prototypum. Et de Imaginibus Ethnicorū non appingendis.

DOceant præterea Parochi Populum, Imag nibus Christi, Deiparæ, & aliorum Sanct rum debitum honorem, & venerationem impe tiendam: Non quod credatur inesse illis aliq diuinitas, & virtus, propter quam sint colend vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod ducia in ipsis Imaginibus sit figenda, veluti oli ab idololatris fiebat; sed quoniam honos qui e exhibetur, ad prototypa refertur, quæ illæ repr sentant; Ita vt per Imagines, quas osculamur, coram quibus caput aperimus, & procumbimu Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ sin litu-

Concil.Nic.2. act.3.4.5.& 6. Conc.Triden. ibid.

litudinem gerunt, veneremur. Vndè impudicorum, atque Ethnicorum effigies, & simulachra in Ecclesijs pingi, vel suspendi omninò vetamus, cùm illud valde sacrarum Ædiũ decori repugnet.

Dec. 11. Bruta animalia non pingãtur: nisi sacra historia id requirat.

QVia item per historias illas sacras, picturis expressas, in mysterijs nostræ redemptionis assiduè recolendis, fidelis populus confirmatur, vt ex sacris Imaginibus magnus percipiatur fructus; præcipimus, ne effigies Brutorum animalium in Ecclesijs fiant. Quod tamen conceditur, quando ex Sanctæ Matris Ecclesiæ consuetudine, historiæ sacræ expressio aliter fieri postulauerit: Tunc enim admonetur populus beneficiorum, & munerum, quæ à Christo sunt allata, & quia Dei per Sanctos suos miracula, atque salutaria exempla oculis fidelium, ita subijciuntur. Quod si Rectores, Ecclesiarum in prædictis obseruandis negligentes erunt, grauem ab illis mulctam exigemus, & contra pictores ipsos (si à prædictis non resipuerint) censuris etiam ecclesiasticis procedemus.

Conc. Nic. 2. act. 3. 4. 5. & 6.

Act. Eccl. Med. p. 1. tit. de reliqu. & Vener. &c. cap. 34.

Dec. 12. A puluere, & omni sorde custodiantur. Corrosæ verò nimis, auferãtur.

INdemnitati prætereà Ecclesiarum, & eorum, qui summis impendijs, Ecclesiarum decori student, consulere volentes: mandamus, vt Ecclesiarum Rectores diligentẽ earum Imaginum curam habeant, quæ præsertim magnis impendijs sunt paratæ; vt vigilanter incumbant, ne à pulueris, & aliarum sordium illuuie maculentur, & feriatis diebus decenti panno illas contegant. Tabulæ verò vbi sacrarum Imaginum effigies depictæ apparent adeò corrosæ, vt indecens ipsarum reddatur aspectus; vel cõburantur, & cineres in sepulchris condantur; vel in aliquo decenti, & secreto loco recondantur.

De

De Diuini Verbi prædicatione, & Fidei eruditione. Cap. XI.

EVangelicæ porrò veritatis cognitio, vt humanam fugit imbecillitatem, ita innatam eiusdem, & inexplebilem quandam auiditatem non fugit. Etenim quis in illos inaccessos fulgores oculos, animūq; coniecit, qui non lucis immensitate deijceretur? Nullus tamē ita deiectus vnquā fuit, quin auidiùs in eandem oculos, animumque coniecerit. Excedit quidem, multùmque supereminet humani eloquij facultatem, diuinarum rerum magnitudo: Verùm ipso Dei in tenebris nostris corufcante fulgore, indè insurgit ratio non tacendi, vbi fandi oritur difficultas. Non perturbamur tamen infirmitatis nostræ angustijs, quia Euangelicis vocibus instructi, ita accendimur, & docemur, vt ipsa diuinarum operum Sacramenta non tàm præterita recolere, quàm præsentia videamur inspicere. Ex ijs enim de æterni Patris sinu æternum Verbum, & Caro factum, in cordibus hominum venit seminare semen, non qualecunque, sed suum. Euāgelicam quippè veritatem, quæ per ipsum Christum priùs seminata, disseminata posteriùs per Apostolos, quasi scintilla in lapideis venis inclusa, exilire non poterat, nisi priùs Christi Corporis silice in Cruce percusso. Diuini ergò Verbi prædicatio, ipsa quidem in seipsa semper viua, & apta lapideum cor emollire; vitio tamen fit hominum, quorum corda frigus occupauit; vt nisi Deus ipse per os Concionatorum cum verbis, spiritus quoque feruorem effundat, & audientes igne suo bono inflammet,

steri-

sterilia plerunque, & inefficacia concionatores verba more cymbali tinniant. Charitatis ergo igne inflammatum Verbum Dei lucerna est pedibus intellectus nostri, & lumen semitis nostris. Ardeat ergo cor nostrum cum Discipulis Emmauntem petentibus, dum Christus ipse in huius vitæ via loquitur nobis. *Nunquid enim non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram?* Lampades ergo huius seminis lampades ignis, atque flammarum, cuius charitatem, sicut nō potuerunt aquæ omnes mundanarum passionum extinguere, ita faxit Deus, vt in nobis, nec fluuij carnalium obruant illecebrarum. Hunc ignem fatebatur se Christus venisse mittere in Terram. Quid enim nisi flāmam, ille qui lumen erat de lumine produceret? Hoc olim semen ipse Christus seuit, perrexit postea per Discipulos suos, & nunc pergit serere per Doctores. Vtinam per illud illuminentur vmbræ mortis, accendatur frigus voluntatis, duritia cordis dissipetur; Viuus enim est Sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, vtrinque scindit, lectione scilicet, & prędicatione. Huius gladij coticula assiduum est, ac diligens sacrarum studium litterarum; Capulus, feruens, & continua oratio; lamina, verus, & ignitus Sermo: vagina, profunda animi demissio. Sic indutos lorica fidei, succintos baltheo pudicitiæ, calceatos caligis veritatis, redimitos galea spei, tectos scuto fidei, quatientes manu vibrantem Verbi Dei gladium, iubet Apostolus in aciem contra communes hostes Catholicæ veritatis prodire. Quapropter rectè Patres in Conc. Trid. per Spiritum sanctum congregati, adeo munus hoc Episcopis

Heb. 4.
Psal. 118.
Hier. 23.
Luc. 12.
Sess. 5. cap. 2.
Et sess. 24. c. 4.
Ex Cōc. Cath. & Remensi.

Et c. Episcopi 88. dist.

necessariũ cõmendarunt. Si enim per incuriã, vel segnitiẽ intermitti quãdòque cõtingat, via statim improbitatibus patebit, & erroribus patefacta; qua deprauata, hominũ vitia validiora in dies singulos, suscipient incrementa. Considerent ergo Diuini Verbi prædicatores, quanta illos in dignitate constituerit Deus, vt Cęlis ipsis comparentur, diuinam gloriam continuò enarrantibus. Et quemadmodum Summus Pater Diuinum Verbum ab æterno produxit, tum verò humanitate indutum in mundum misit, vt per ipsum mundus saluetur; ita Diuinus Cõcionator, diuinarum rerum multò ante verbum in mẽte concipit; postea verò humana voce contectum profert in Vulgus, priùs meditando, Scripturas legendo, Sanctis Patribus operam dando; inde de thesauro suo veluti scriba doctus noua profert, & vetera; multa priùs in pectus suum infundit, vt postea in aliena corda diffundat. Nouerint ergo, vt illos cum Diuo Gregorio alloquar, se Sanctorum Doctorum imitatores esse debere. *Sancti*, inquit ille, *Viri, cùm se ad prædicandum parant, priùs se virtutibus interiùs innouant; vt ab hoc quod loquendo docent, viuendo non discordent. Priùs enim sua interna considerant, atque à cunctis se vitiorum sordibus emundant: Curantes summopere, vt contra iram, patientiæ luce resplendeant; contra carnis luxuriam, cordis munditia fulgeant; contra torporem, zelo candeant; contra confusos præcipitationis motus, summa grauitate rutilent; contra superbiam verò, humilitate luceant; contra timorem, radijs Auctoritatis Diuinæ clarescant.* Sic enim, vt ait Diuus Bernardus, non erunt sicut canales, per quos dum fluenta cęlestia in populum emanant, ante

Lib. 30. Mor.

Serm. 18. in Cantica.

ante effundere velint, quàm infundi; priùs loqui quàm audire paratiores; & promptiores docere quod non didicerunt: alijs præesse gestientes, qui se ipsos regere nescierunt. Non ergo se ipsos canales, sed conchas exhibeant, vel fontes, qui non priùs manant in riuum, nec in lacum extendũtur, donec suis satiati fuerint aquis. Sint Concionatoribus exemplo Sancti Viri; præsertim Sanctissimus ille Monachorum Patriarcha, Christianæ Religionis Restaurator Benedictus, qui priùs Mundi gloriam despexit, & solitaria quærens loca, Deo studuit placere, ac priùs sibi didicit id, quod post multum, alios voluit edocere; vt non tàm verbis, quàm virtute Spiritus, ad eructandum proximis opportuno tẽpore verbum bonum, esset paratus, quàm ipso verbo priùs repletus; Charitate enim plenus, zelo deinde aliorum feruescebat. Eructabat nempè de diuina plenitudine, nam oscitabat de inanis gloriæ vacuitate. Ita ergo, quos ad prædicandum suum Verbum destinauit Christus, non sint in se ipsis sal infatuatum, ad cæteros enim cõdiendos erunt inepti. Quòd si quando ad eloquenda Diuinæ Misericordiæ Sacramenta, impares se esse cognouerint, gaudeant potiùs; Et cum rerum altitudinem promere non valeant, sciant, bonum illis esse, quod vincantur. Nemo enim ad diuinæ veritatis cognitionẽ magis appropinquat; quàm qui intelligit, in rebus diuinis, etiam si multùm profecerit, semper sibi superesse quod quærat. Leo. Serm. 9. de Natiuit.

Dec. 1. Quid seruent Diuini verbi præcones.

CVm prædicationis munus potissimas partes ad Christianæ vitæ labefactatam puritatem instaurandam obtineat, verbi Diuini præcones per IESV Christi sanguinem obtestamur, vt meminerint se de grauissimis, ac diuinis rebus age-

re, ac propterea ab inanibus auersi ad fabulas nō conuertantur, sed de Deo, de salute ipsa, de vita ac morte animæ, de æternitate debeant verba facere. Quamobrem, vt pro verbi Dei dignitate tantum munus tractetur, monemus illos, vt sedulò ijs, quæ circa prædicationis officium obseruanda à sacris œcumenicis, & generalibus Synodis, Lateranensi præsertim vltima, & Tridentina sunt sancita, studentes; ea inuiolabiliter obseruent. Illud meditantes, Populo debere illos verbi Dei panem frangere, vt propterea non debeant porrigere scorpiones.

Concil. Later. sess. 13. Triden. sess. 5. cap. 2. sess. 24. cap. 4.

Dec. 2. Quibus tēporibus concio habenda. Et de eius fructu spirituali.

IGitur ad illarum Synodorum præscriptum statis diebus, potissimum verò sacro Aduentus, & Quadragesimæ tempore, non solùm in Matrici Ecclesia Sancti Germani, verùm etiam in Oppidis, & Pagis huius Diœcesis, à Sacerdotibus idoneis per nos priùs approbatis, sacram prædicationem haberi omninò volumus. In qua maximè ab eo caueant, ne quod præceptis, & hortatu ædificant, illud vita, & moribus destruāt, ne cum alijs prædicauerint, ipsi reprobi efficiantur. Illud præterea sæpè Populum doceant, quisnam sit scilicet modus, congruentem fructum ex concione percipiendi. Atque in publica concione nunquam se ipsos, ad eleemosynas capiendas commendent, ne videantur illud munus lucri gratia obire.

Dec. 3. De sacra Scriptura exponenda ex Patribus, omissis quæstionibus inutilibus.

IN sacra Scriptura interpretāda, nequicquam recedant à vero sensu, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare, quænam vera sit illius interpretatio. Quod optimè præstabunt, si nunquam proprio sensui confidant, sed orthodoxorum Patrùm vnanimem cōsensum spe-

ſpectent, & audientium animos inutilibus quęſtionibus, iocoſisq. verbis non occupent, hæreticorum ſententias circa Fidei myſteria, & eorum argumenta, nõ nimis curioſè proponant. Quòd ſi quando vrgenti de cauſa ad ſimilia proponenda compellantur, diligenter refellant, & illorum falſitatem, qua maxima fieri poterit claritate, oſtendant.

A Verborum item lubricitate omninò abſtineant, nèue huc atque illuc omni doctrinæ vento circunferantur, ſed Eccleſiæ, quæ columna eſt, & firmamentũ veritatis inhærentes, in doctrinis ſuis ſanum, atque irreprehenſibile verbum annuntient, ne ſint adulterantes verbum Dei, & ad ſuam, aliorumq. perniciem, ſe ipſos prædicẽt, & non magis, iuxta Apoſtolicã formam, IESVM CHRISTVM, & hunc, crucifixũ. Ne prædicatio in doctis humanæ ſapientiæ verbis ſit, aut ſublimitate ſermonis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis. In id vnum toto pectore incumbentes, vt vitia ex animis hominum radicitus euellantur, & virtutes inſerantur, & inſitæ conſeruentur. Quod ſi ſecus fecerint, meritò de illis conqueri Dominus poterit, petijſſe paruulos panem, nec fuiſſe qui frangeret eis.

Dec. 4. De verborum lubricitate cauenda. Deq; feruoris ſpiritus oſtẽſione.

Tren. 4.

IN adhibendis reprehenſionum aculeis, caueant, ne vtantur ijs verbis, quibus oſtendãt, ſe in aliquem particulariter inuehi, ſed ijs vitia generatim inſectentur; ea præcipuè, in quibus Populum frequentiùs delinquere intellexerint. Ad frequentem ſacroſanctæ Euchariſtiæ, & confeſſionis vſum adhortentur, vt tã ſaluberrimis medicamentis animæ vulnera, alioqui incrudeſcentia, curent. Ad quem vſum Sanctorum Patrũ

Dec. 5. De quenquam nõ lædẽdo inter concionãdum. Et frequẽtia Sacramentorum inculcanda.

ſententijs, Tridentinæ Synodi Decretis, & Cathechiſmi Romani authoritate, quibuſdam quaſi ſtimulis concitent, vt ſi non ſæpius illa frequẽtent, ſaltem ſolemnioribus anni temporis, naſcentis ſcilicet, & reſurgentis Domini, Pentecoſtes, & Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, exequantur.

Dec. 6. Curati teneãtur ſubditos verbo paſcere: aliàs eis detur coadiutor.

PArochus præterea vnuſquiſque in ſua Parochiali Eccleſia ſtudeat, commiſſos ſibi fideles, pro illorum intelligentia, ſalubri doctrinà paſcere, Dominicisq; ac feſtis diebus Populum ſuum in Miſſa piè, ac religiosè alloquatur, lectionemq; Euangelicam, ſiue aliud quidpiam, quod eo die in Diuinis officijs proponitur, explicet. Quod ſi ad id munus minùs ſe cognouerit aptũ, è libro aliquo ſaltem homiliarum probato, vel Cathechiſmo Romano, in vulgarem ſermonem conuerſo, aliqua omnino ijs diebus diſtinctè recitet, quę auditorum animos, ad ipſius Dei, & proximi amorem intimum poſsint inflammare. Illud inſuper admonentes, quòd ſi in viſitatione aliquis neque ad hoc idoneus à nobis fuerit repertus, coadiutor illi in eo onere ſuſtinendo, à nobis erit conſtituendus, cum ea mercede, vel eleęmoſyna, à Parocho ipſo ſoluenda, quæ nobis loci, perſonarum, & oneris ratione, videbitur congrua.

Dec. 7. De nocturnis cõcionibus vitandis. Alijsq. indecoris geſtibus.

Henr. tract. de Syn. Epiſ. ar. 2. Conc. 13. Act. Ecc. Med. p. 3. in inſtruc.

NOctu Populo in Eccleſia prædicare, tàm illis, quàm etiam alijs concionatoribus, à nobis miſsis, ſiuè Clerici ſint ſeculares, ſiue cuiuſuis Ordinis Regulares, omnino ſit interdictũ, præterquam, ſi in prima Miſſa Natiuitatis Domini ſermonem habere voluerint. Paſsionem enim Domini Noſtri, vel illuſcente die, aut veſpere ante

te multam noctem volumus prædicari, in qua quidem, ne quid per concionatores fiat, aut dicatur, etiam ad lacrymas prouocandas, quod à Christiana disciplina aliquo modo abhorreat, aut à tanti mysterij dignitate sit alienum, omnino interdicimus. Illud præterea curent Parochi, vt dum concio ab ipsis habetur, viri à fœminis etiam per intermediam telam, vbi commodè fieri poterit, separentur. prædicta verbi Dei. c. quibus temp. cócion.

IN festis verò omnibus, inter Missarum solemnia, dum Populum monent de obseruandis infra hebdomadam, moneant etiam, vt ab Ecclesia non discedat, nisi priùs preces ad Deum fuderit, pro felici statu Sanctæ Matris Ecclesiæ, pro bono totius Diœcesis regimine, pro communi Populi Christiani pace, pro animarum pastoribus, pro Principibus, & Magistratibus, pro benefactoribus, pro ijs omnibus, qui à Christiana fide aberrant; vt eos Dominus ad verum Dei cultum sectandum, veramq; fidem agnoscendam dignetur illuminare, pro Defunctis omnibus, tum ijs præsertim, qui in illius Ecclesiæ gremio conquiescunt, ne longioribus purgatorię flammę cruciatibus adurantur. Dec. 8. Pro quibus nã orari frequenter debeat.

CRebris itē cohortationibus patres, matresq; familias, ad familiam suam optimis disciplinis, & bonis moribus informandam, sedulò accendant; atque vt in erudiendis suis pueris, eos Magistros adhibeant, qui non solùm litterarum cognitionem, & peritiam, verùm optimæ vitæ rationem, morumq; honestatem apti sint edocere. Pagos item, & rusticana loca colentes admoneāt, ne filios, famulosq. pascendis gregibus, alijsque Dec. 9. De bonis moribus, pueris inferendis.

rei familiaris ministerijs, ita incumbere sinant, vt nec missæ sacrificio interesse, nec ad Templum valeant se conferre.

Dec. 10. De concionatorum grauitate, atq. zelo.

IN illud denique docendi genus se transforment, vt Beati Apostoli Pauli exemplo, singillatim cuiuscunq; status homines instruant, & præcipua virtutum officia demonstrent, ad quæ animas suæ curæ demandatas, à vitijs deterrẽtes accendant, vt Christo in Cruce pendenti deseruiãt, qui falsa testimonia, famem, sitimq. cum maximis probris, atque ignominijs passus est; & in ipso studeant gloriari. Sic enim in ipsius fame saturabuntur, in siti inebriabuntur, in contumelijs, & iniurijs triumphabunt. Quod sanè effectum, si graui oratione, & ab omni fucati artificij suspicione aliena, tractabunt, maiorem inde fructum, diuino aspirante Numine, speramus eos collecturos. Arguant igitur, obsecrent, increpent, cum omni patientia, & doctrina, vt faciliùs illam posit Dei Populus substinere.

Dec. 11. Quod verbum concionantis audiri debet vt verbũ Dei.

Cathechis. Romani initio.

Luc. 10.

Matth. 28.

POpulum verò nostræ curæ cõmissum, per verbi Dei pretiosum sanguinem obtestamur, vt verbum auditus Dei ab Ecclesiæ ministris, tanquã verbum Christi accipiat; Ille enim ipse Saluator noster, tantam auctoritatem eorum magisterio tribuendam esse statuit, vt diceret: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Quod quidem non de omnibus ijs tantùm, quibuscum sermo tunc habebatur, voluit intelligi; verùm de ijs omnibus, qui legitima successione, docendi munus obtinent. Quibus se omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi, pollicitus est affuturum.

Atque

Atque vt salutaris in Fidei rudimentis exercitatio, maius in dies recipiat incrementum; Sodalitates Doctrinæ Christianæ in Ciuitate Sancti Germani, atque omnibus Diœcesis huius Castris, Parochorum sollicitudine, & cura, institui volumus, & mandamus. Et vt promptiori animo fideles ad hanc curam suscipiendam alliciantur, Indulgentiæ Summorum Pontificum, ac præcipuè fel. mem. Pij V. illis proponantur: Quibus, omnibus vtriusque sexus fidelibus pœnitentibus, & confessis, seu statis à Iure temporibus firmum confitendi propositum habētibus; qui in aliquam dictarum Sodalitatū intrauerint, & adscripti fuerint, tam videlicet illis, qui alios docuerint, quàm qui ab alijs in articulis Fidei, & præceptis Ecclesiæ instruentur, quoties huic salubri exercitio se occupauerint, quadraginta dierum Indulgentiæ conceduntur.

Decr. 12. De Sodalitatibus Doctrinæ Christianæ erigendis, & earum Indulgētijs proponēdis.

Bull. Pij V. 6. Octob. 1567.

At quoniam in multis locis, propter ipsorum angustiam, Sodalitates huiusmodi institui non possunt; Ideo mandamus, vt in ijs duo, tresuè homines à Parocho deligantur, authoritate grauiores, qui pro Christiana pietate id sollicitudinis suscipiant, vt pueros adolescentesq; à sexto, vsque ad duodecimum annum, ad Parochum inducant; à quo in Ecclesia Fidei rudimentis imbuantur: & præterea attendant, ne ea docendi ratio intermittatur. Curentq; vt mutua inter eos charitas, morūq; disciplina semper conseruetur. Atque vbi commodè fieri potest, & loci ratio pro puerorum instruendorum multitudine postulauerit, distribuantur Sacerdotes, & alij Clerici, vt singulis festis diebus duo ex ipsis, quorum alter Sa-

Decr. 13. Quod saltem aliquot pii homines instituātur, qui pueros parocho sistant erudiēdos.

Sacerdos, alter Clericus sit, Parochum adiuuent in Fidei rudimentis edocendis; qui si per negligentiam non adfuerint, duorum aureorum mulcta singulis vicibus punientur.

Et hæc decreta fuerunt de suggesto, per secretarij socium, coram omnibus, mirum in modum applaudentibus, promulgata.

LAVS DEO.

Indictio futuræ sessionis.

Placet ne vobis sequentem sessionem, sequenti die, in nostra Collegiata Ecclesia S. Germani celebrari?

Et Resp. PLACET.

Tum benedictione Præsulis accepta Synodus dimissa est.



ORATIO

ORATIO

In Secunda Synodali Sessione habita, in Collegiata Ecclesia Sangermanensi.



VSPICATVM iam, Deo ductore, Synodalem Casinensis Diœcesis Conuentum, pia nunc prosequitur Antistitis Reuerendissimi cura, Cęlestis auxilij aura spirante, concelebrare; summa, vt video, vestrum, quorum mihi tam digna lucet corona, diuini ardoris alacritate. Sit ergo, Antistes Reuerendissimæ, tibi faustum, & felix: sit totius Cleri, ac populi, Pastorali tuæ sollicitudini commissi, in via Domini progressui, & Spirituali vtilitati bonum, ac fortunatum, nunquam satis laudatum institutum, atque ab ipsis vsque Christianæ religionis parentibus, columnibusq. ipsius Ecclesiæ Catholicæ primordijs, summis erumnis accersitum exemplum. Si enim ijsdem res conseruantur, & augentur fulcris, quibus partæ fuerunt, eadem nobis erunt adhibenda remedia; ijdem, quos maiores nostri Patres Orthodoxi exanthalauerunt, subeundi labores, vt eadem virtus, & parens sit nascentis religionis, & nutrix adolescentis. His ergo præsidijs Dei immortalis Ecclesia, si profanata est, illustratur; si violata, expiatur; si imperfecta, absoluitur; si collapsa reficitur. Sic item hæc Petri nauicula ab infesta turbinum incursatione, atque aduersa fluctuum iactatione vindicatur. Verùm, venerandi Sacerdotes, quandò mihi quantumuis indiserto, hæc orandi est demandata prouincia, vt more maiorum, de Ecclesiastica disciplina in pristinam vim suam restituenda, sit discurrendum; ne ingenij mei vires succumbant, eam à vobis attentionem, ac beneuolentiam, efflagito, quam vestrorummet, non exhortatio, sed laudatio requirit: Vt si superiores dies negligentiarum, si quæ irrepserunt, vmbris fuerunt obtenebrati; decurrentis, in posterum futuræ, ex instauratis moribus illustrentur, felicitatis memoria.

Agite quæso, an non ita alenda, ac roboranda à vobis est Catholica religio, præsertim cum in has regiones non inuecta solùm, sed tâquam in patria Sede nata esse censeatur; vt huic quasi ex natali Palestinę solo, propter suorum improbitatem depulsa, multis iniurijs iactata, loci opportunitatem nacta, volens, libensque conquiescere videatur? Hanc igitur foueamus, ne delitias nostras hostibus inuideamus; earumque desiderio tabescentes, solitudinem nostram lugeamus. Ostendam igitur vobis, quot ærumnas sint perpessi, quot sustulerint ad extremum vsque spiritum labores primi illi, Christiani fundatores imperij. Si

enim

enim ita propriæ dignitatis fuerunt desertores, vitam ipsam spernentes, illam non dubitarint cum dignitate amittere; si gaudentes ibant à cōspectu Concilij, vt digni inuenirentur pro Nomine IESV contumeliam pati; turpissimum profectò esset, nos religione dimissa, cuius Maiestati Reges insignia, fascesque submittunt, & quæ vita ipsa debet nobis carior esse, vitam retinere. Nam ne omittamus Christi ipsius exemplum, à quo sumendum porrò est exordium, qui cum ad Diuini Verbi semina disseminanda suos destinasset Discipulos, vt patienter insectantium perferre exhortaretur ærumnas; sui ipsius imitationem, ac similitudinē proposuit; cum non esset discipulus super Magistrum: vt nempè illud esset Discipulorum ad subeūdos hilari animo labores incitamentum. Sic Macedonibus in Persidem iter per glacies facere detrectantibus, Alexander æquo desiliens, per medium gelu viam aperuit, ac milites erubescentes constanter secuti sunt Ducē. Vriæ item nunquam satis laudari potest fidelitas; qui Principi, & Duci quid debebatur, intelligens; *Arca, inquit, Dei habitat in papilionibus, & dominus meus Ioab, & Serui domini mei super faciem Terræ manent, & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & dormiam?* Christo ergo in summa rerum omnium inopia in Mundum diuertente, animam suam in manus inimicorum pro ouibus suis tradente, quid par est sentire eos, qui ipsius benignitate super grege constituti sunt ad ipsius imitationem Pastores? Sic petra, qui Christus est, refugium est herinacijs, si ad ipsam laborantes accedimus, & suorum comparatione laborum nos reficit. Licet enim in diluuio aquarum multarum immersi videamur, ad eum tamen non approximamus. Ecce misit ipse Apostolos sicut oues in medio luporum, ad Præsides, & Reges ducendos, in Concilijs tradendos, in Synagogis flagellandos, vt ne cogitarent quidem, quomodo, aut quid loquerentur; & qui priùs in Passione perterriti, & scandalizati, ipso relicto, fugerant omnes, & ad vnius ancillæ ostiariæ vocē non veriti fuerant ipsum negare; postmodum aduersus Mūdi totius insidias, pectus obiecerunt inerme. Etenim in remotissimas abiere Terras, vt diuini homines ex hominum commercio, & ab humanæ Naturæ limitibus viderentur exterminati, qui ad bene merendum de omnibus hominibus adeò acriter erant determinati. Barbarorum crudelitati corpus obijcere non verebantur, qui studebāt eos ad Dei amicitiam, consuetudinemque traducere: ad vltima Terrarum sola proijciebantur, quasi in exilium propter graue aliquod crimen expulsi, qui ipsorum improborum saluti incumbentes, ipsi quærebant remedium afferre improbitati. Hi suis laboribus, atque ærumnis, auctores fuerunt Christianæ amplitudinis; qui per omnes calamitatum gradus, religioni ad honorum culmen, & gloriam aditum patefecerunt. Ex hac veluti Christiani agri macie, qui tot calamitates acceperat; & Ecclesiæ

claritas

claritas enituit,& virtutũ segetes ingerminarunt. Quid vobis videtur, Patres venerandi? An non exultare in vobis, ac gestire nunc Pastoralem Charitatem experimini, vt qui illis non fuistis temporibus orti, quibus vitam ipsam pro Christi nomine profundere licuisset, saltem ad medendum alijs languoribus Ecclesiæ, sitis ad hæc vsque tempora reseruati? Vos etiam misit Dominus sicut oues in medio luporum; vt nẽpè oues alias vobis concreditas à rabidis luporum, dęmonum nempè dentibus eriperetis, religionis Christianæ fidem, ac virtutes in illis cõseruando: vt si aliquam intra luporum dentes morari videatis; vita ipsa pro faucibus illis sit eripienda. Sic mortem morte redimetis; vita enim in morte hac inuenitur. Voluit quippe ille, qui moriendo eum destruxit, qui mortis habebat imperium, vt, & nos etiam morte mortem dissolueremus; tormentis tormenta discuteremus; vt vita cum amittitur, vita seruetur. Vos estis, qui videmini oculis insipientium mori, cum tamen in grauissima pace commoremini. Si enim coram hominibus tormenta patiemini, in paucis tamen vexati bene disponemini. Plerique mortalium ob oculos vestros versentur, qui vitam in discrimen obijciunt, vt diuitias adipiscantur; & tamen aut vitam inter illarum ærumnas amittunt, aut illam dies, noctesque, auctis per diuitias curis, exulcerant: ad remotissimas terras, quò illos trahit effrænata cupiditas, distrahuntur, vt opes inde, tot insidiarum materiam, asportent; quasi verò opus sit pestiferum vitæ malum ex vltimis Terris accersere, ad vitæ tranquillitatem perturbandam? Quonam pacto esse poterit in vobis aliquis, qui Christianam religionem, vitæ spiritualis patrimonium, & ornamentum diuinitus nobis datum, summis laboribus non tueatur? Subeat animum illa Oceani facies, ventorum contumelijs efferata, altissimis; quibus paulò ante continebatur, molibus superinfusa; quàm minaci fremitu, quàm horribili exæstuet clamore. Horret profectò animus, sola tàm immanis monstri recordatione. Immanis tamen huius portenti barbarici non potuit, vel auarorum, vel eorum, qui inanem gloriã sectantur, auiditatem deterrere. Horum libidinem Natura ipsa tot Pelagi minis frænare non potuit; & durus aliquis labor vestros animos deterrebit, quibus tamen via paratur ad beatitatem? Illi per ignem, & arma, ad læthalem pastum properant mendicitatis; & cæca hæc animi cupiditas esse poterit religionis amore potentior? Haud ita profectò; Sed summis laboribus conseruanda sancta, & incontaminata illa, cuius munere homines maiores sunt dignitatis humanæ fastigio, quibus ideo dixit Deus, *Vos Dij estis, & filij Excelsi omnes*. Si enim, Philosopho teste, amicus est alter ego; vos amici Dei estis, quos elegit de Mundo, vt eatis, & fructum afferatis. Quem profectò afferentes, nõ homines eritis, sed in consortium diuinæ dignitatis assumpti. O quàm speciosi pedes vestri erunt, dum hinc inde
per-

peruagantes; vestram impendetis curam, vestrum laborem, vt gregi in quo vos posuit Spiritus sanctus, pax euangelizetur, euangelizentur bona cęlestia. O speciosissimas linguas, quibus Diuini Verbi semina disseminabitis. O formosissima pectora cęlesti igne ardentia, quibus ad sanguinem vsque, in gregis custodia perstiteritis. Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo positi estis regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Consideretis cum candida illa Diua (quæ eò ardoris peruenerat, vt cor Deo tradens, vitam sine corde vixerit) Considerate, inquam, mirabilem animarum vobis commissarum pulchritudinem,& pro salute ipsarum omnem laborem libenti, promptoq; animo subeatis. An non quomodo miseretur mater filiorum, misertus est Dominus nobis? Et vos quomodo mater, vt huic Mundo filios pariatis, labores ferre non recusetis. Illa cum peperit filium, iam non meminit pressuræ, quia natus est homo in Mundum; & cum vos Cęlo homines magnis cruciatibus pepereritis, iam non veniat in memoriam labores,quia natus est homo in Cęlum. Vos estis quadrigæ illæ Dei, quibus nomen *saluatio*; quia Christum Saluatorem vehitis. Super vestros equos ascendit Deus, dum ipsum prædicatis, dum ipsum induti, gregi vestro ostenditis, piè,sanctèq; adorandum; Non diuitias, non honorem, non inanem gloriam quærentes, sed ipsam tantùm saluationem. Nec vetera tantùm exempla euoluatis, sed & ea, quæ his nostris temporibus domi penè habemus, inspiciatis? Quàm multi religiosarum familiarum alumni,in remotissimas illas Orientis, & Occidentis regiones à Patriæ sinu, & carissimarum rerum consuetudine abstracti, fidem inuexerunt. Quanta illorum extat virtus, qui Christiano imperio,gentes illas moribus efferatas adiungũt,ad quos tamen summa illa, & effrænis Romanorum potentia non potuit penetrare? Hi nec laborum frænis retardari possunt, immo illorum penè stimulis concitantur: & per Syrtes æstuosas, per scopulos, per inhospitalia loca gradiuntur, vt viam sibi muniant ad felicitatem. Nunquid ergo aduersa fortuna iactabimini, prosperum virtutis ductum insequentes? Quid perhorrescitis Mundi tempestates? At virtus in tempestate redditur secura. Quid infirmitates? At virtus in infirmitate perficitur. Neque enim dubitandum est in vitæ discrimen se offerre, illi, qui in optatis habere debet vitam pro Christo profundere. Talis esse debet bonus Pastor,qui animam suam pro ouibus suis dare debet. Sed quid ego nequicquam conor, veri Pastoris imaginem adumbrare, cum spirantem, & viuam habeatis? Cui si quod esset exemplum proferẽdum, se ipsum sibimet ipsi imitandum proponerem. Qui cum plurimùm de communi totius Diœcesis salute cogitaret, de suis commodis duxit subtrahendum, quod in vsum publicæ rei conuerteret; prosecutus est effectu, quod ab initio sui Præsulatus toto cupiebat affectu. Synoda-
iem

lem hunc Conuentum coëgit, cum speraret plurimos ex hisce Comitijs exituros laudi, ornamento, atque vtilitati Reipublicę, qui ex hac Officina ad publica commoda sustinenda,& confirmanda, tanquam ex equo Troiano Principes egrederentur. Ecce hodie quomodo à vobis tractanda sunt pretiosa illa vasa Sanguinis Christi, Sacramēta inquam; quomodo pretiosus ille meritorum eius thesaurus sit custodiendus; quomodo purganda vasa animarum vobis commissarum, ad riuulos gratiarum ex illis hauriendos, proponit. Docet, quonam pacto Sapientia æterna ædificauit sibi Domum, miscuit vinum, & mensam lautissimam gratiarum omnium præparauit. Ad vos ergo Sacerdotes Sacramentorum ministri. Animæ vestræ sunt ancillæ, quas misit Sapientia æterna, vt paruulos vocaretis ad Arcem. Exite citò in plateas, & pauperes, ac debiles, cęcos,& claudos introducite, vt impleatur Domus Dei. Canite tuba in Sion, conuocate cętum, adunate populum, dicite: Sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite,& comedite absque vlla commutatione vinum,& lac. Ecce vnus militum lancea latus Christi aperuit, & continuò exiuit sanguis, & aqua. Ecce fluuium, ecce fontem, è loco infinitæ voluptatis scaturientem. Non tabus mortis de vulnere Christi sicut hominum cęterorum, sed fons vitæ manauit æternæ. Exiliuit de vulnere aqua, vt salutem inde nos ebibamus. Bibant ergo omnes peccatores Terræ,& peccata deponent. Quid enim aliud de fontibus Saluatoris potest emanare, quàm salus? Fontes autem Christi fontes sunt salutares. Hauriamus ergo aquam cum gaudio de fontibus Saluatoris.



SY-

SYNODI CASINENSIS

SESSIO SECVNDA.

De Sacramentis.

In Ciuitate S. Germani celebrata die 22. Martij.

SIMPLICIVS CAFFARELLVS *Sacri Monasterij Casinensis humilis Abbas, Ciuitatis S. Germani, & Castrorum, aliarumq. Terrarum, & locorum Dominus, & Ordinarius.*

VNIVERSO CLERO, ET POPVLO NOBIS SVBIECTO, *salutem in Domino, qui est omnium vera salus.*





ONFITEAMVR ergo, dilectissimi, Patri Cæli, & Terræ, quòd Fidem, eiusq; doctrinam absconderit ab inflatis Mundi huius sapientibus, eamq. humilibus corde, & pauperibus spiritu reuelarit. Luc. 10. Cum enim Deum nemo viderit vnquam, & inuisibilia ipsius non nisi per ea quæ facta sunt, intellecta, nimis caligātibus oculis conspiciantur; Ioan. 1. Vnigenitus tamen qui est in sinu Patris, non rapinam arbitratus, esse se æqualem Deo, semetipsum exinaniuit, & ipse idē in forma serui nobis enarrauit. Quando enim per viscera misericordiæ suæ dignatus est visitare nos oriens ex alto, Mundum illuminauit, & Populus gentium vidit lucem magnam; Luc. 1. Isa. 9. qui tamen in

G igno-

ignorantiæ caligine, & errorum tenebris ambulabat. Etenim sempiterna illa sempiterni Patris sapientia, in plateis clamitauit, de rebus magnis est locuta, de virtutibus nempè, de æterna in Regno Cęlorum vita. Aperta sunt labia illa diuina, veritatem protulit guttur illud suauissimum, cuius iusti, & suaues semper fuere sermones. Vt tamen hæc eadem sapientia, ille nimirùm Splendor gloriæ Patris, & figura hypostasis eius, purgationem faceret peccatorum, licet ad dexteram sederet Maiestatis in excelsis; ædificauit ipsa sibi in orbe Terrarum domũ, eximijs nempè donis Ecclesiam ornatissimam, & Sacramenta septem firmissimarum instar columnarum in ea statuit; vt illam adumbraret, quæ Ecclesiæ concessa est, firmitatem. Vt enim columnæ domum fulciunt, sic Sacramenta singulari Dei prouidẽtia Ecclesiam, ne vel in leuissimum labatur peccatum, stabiliũt. Miscuit item vinum, mensamq. in ea proposuit: Dum enim carnem suam in cibum, & sanguinem dedit in potum, cõuiuium parauit nobis suauissimum, ad quod omnes inuitat; vt solidissimo nutriti alimento, ex infantibus in summa rerũ ignorantia, ac impotentia natis; in viros, euadamus fortes, & sapientes. Et quomodo non emanaret à capite illo, quod erat aurum optimum, in nos spiritualium multitudo diuitiarum? Cum enim habitaret in ipso tanquam in capite plenitudo diuinitatis corporaliter; sic debebant dona ipsa in corpus omne diffluere, vt de capitis plenitudine nos omnes, tanquam mẽbra reciperemus. Si enim fons ægritudinis, peccati, & mortis fuit Adam, & de hac eius inani plenitudine nos omnes originale peccatum, ægritudines, mortes accepimus;

Heb. 1.

Prouer. 9.

Ex Greg. 17. Mor. cap. 17.

Coloss. 1.

mus; cur non magis de Christi plenitudine, qui perennis est fons vitæ, vitam ipsam exhauriamus? Fuit ergo Christus fons gratiarum fluentissimus, ipsas in se sic cōtinens, quòd foras emitteret, iuxta illud, *Deriuentur fontes tui foras, & aquas tuas in plateis diuide*. Prouer. 5. Spiritualium verò instar aquarum ductus vberrimi sunt Sacramenta; Vt enim in Christo est Diuinum verbum, cum carne aspectabili coniunctum, ita in Sacramentis sunt verba cum sensibili materia copulata; D.Tho. 3.par. q.60. art.6. *Accedit enim*, inquit, Augustinus, *verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Tract. 80. in Ioan. Egrediuntur itaque fluuij isti de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, locus quippe immensæ voluptatis est Christus; Fluuij Gen. 2. Sacramentorum ab ipso ad Ecclesiam irrigādam vniuersam egrediuntur. Nonne Christi Templum est Ecclesia? Hæc ergo Christi passionum meritis est repleta, quæ in Sacramentis veluti in opulentissimis thesauris sunt reposita; vt quicunque peccatorum laborat profluuio, fimbrias Christi, vulnera nempè Passionis ipsius, per merita in Sacramentis existentia, magno ipsorum criminum dolore, vera cum pœnitentia tangat; profluuio sistente, sanitatem illicò recuperaturus. *Ego*, inquit eadem sapiētia, *effudi flumina. Ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio, ego quasi fluuius Dorix, & sicut aquæductus exiui de Paradiso. dixi: Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum.* Eccl.24. D. Incarnata enim sapientia de Paradiso cælesti exiuit quasi trames, & aquæ immensæ ductus, & quasi Dorix, idest, fossa altissima fluuij magni, venit ad mortales; flumina Sacramentorum per quæ omnium gratiarum fluenta decurrerent, effudit. Irrigauit priùs hortum

suum, illud nempè antiquum pratum, hoc est, Iudæorum Populum, sed terra illorum arida, & arenosa, totaq; per superbiæ montes elata, aquas illas non valuit continere. Valles tamen humilitatis ab Ecclesia Catholica præparatæ, ab irriguo illo fluuio sunt impletæ, Montes verò illi, & Colles; aridi, & absque fruge remanserunt.

Dec. 1. Sacramenta à Sacerdotibus omni cum puritate tractētur.

Cathechism. Roman. de Sacram.

PRimò ergo nouerint illud Sacerdotes Sacramentorum Ministri, septem hos riuulos ex vberrimo illo lateris Christi in Cruce perforati fonte dimanasse, ad animarum nostrarum labes abluendas. Vnde sicut ipsorum est, labes purgare, conscientiæ candorem adhibere, gratiamque conferre; ita Ministros suos purgatos, quanto animi candore fieri poterit, exposcunt; ne dum animarum Curatores alijs salutem ministraliter conferunt, ipsi æternam mortem incurrant; & cœlestes alijs aditus referantes, beatitudinis fores turpiter animabus suis occludant. Licet enim Minister in peccato mortali existens, omnia essentialia Sacramenti adhibens, verùm conficiat, & conferat Sacramentum; grauissimi tamen sceleris non solùm ille se reum facit, qui mortali aliquo peccato inquinatus, ea suscipere, verùm etiā qui conficere, vel administrare temerariùs non veretur.

Tridēt. sess. 7. can. 12. c. multi, cap. remiss. c. Christus 1. q. 1. cap. vltimo 15. q. vlt.

Dec. 2. Ne Sacramentorū materia, vel forma ignoretur.

ILli item, quibus ex officio incumbit Sacramēta administrare, nouerint priùs quæ ad cuiuscunque Sacramenti materiam, & formā spectant; ne tanquam proprij muneris expertes à Domino arguātur in die iudicij, dum animarum sibi commissarum erunt rationem reddituri. Omnes ergo habeāt apud se Cathechismum Romanum, vnde puram, bonamq; circa hęc, doctrinam Populo com-

communicādam poterunt haurire. Ex quo etiam bene intellecto poterūt doceri, quomodo possint Populum sibi subiectū instruere, vt cum pietate, & reuerentia illa suscipiant. Doceant ergo, Sacramenta esse neruos ecclesiastici corporis, per quos à supremo huius corporis capite Christo, spirituales motus, & sensus in nos tanquam in membra deriuantur; Vt propterea quia illorum pius vsus non frequens est, multoties videamus homines in spiritualibus exercitationibus valde stupidos.

Dec. 3. De frequentādis Sacramentis, quæ mysteria cōmemorant, gratiam efficiunt, & gloriam denūtiant.

PArochos itaque vehementer in Domino hortamur, vt tantæ hominum socordiæ, quantum possunt obuiam eant, & ne permittant propter ipsorum negligentiam, homines esse parum de propriæ animæ salute sollicitos, dum Sacramentorum frequentiam contemnunt; quibus religiosè, dignèq; suscipientibus Passionis Christi virtus applicatur. Non enim illa sunt solùm signa rememoratiua mysteriorum Passionis Christi, sed etiam demonstratiua gratiæ suæ, quæ in nobis per eiusdem Christi Passionem efficitur, & futuræ sunt gloriæ prognostica. Propterea enim canit Ecclesia, in sacro illo sacratissimi Corporis, & pretiosi sanguinis Christi conuiuio, memoriā recoli Passionis eius, mentem gratia impleri, & futuræ gloriæ pignus dari.

Dec. 4. Quod absit simoniæ suspitio. Sed tamē eleæmosynæ possūt accipi.

VNde, quali, quantaq; debeant administrari circunspectione, admonemur, vt præsertim, à quauis, vel minima auaritiæ, ne dum Simoniæ, quod absit, suspitione caueamus. Non ergo solùm à quæstu aliquo expresso erit cauendum, sed neq; etiam signis, directè, vel indirectè petendum; quæ enim gratis sunt accepta, gratis etiam sunt

ministranda. Quod siquis casu inuentus fuerit aliquid, quomodolibet sub hoc prætextu petijsse, seueram in carceribus aget pœnitentiam, comedendo per totum tempus carcerationis in pane, & aqua. Non prohibemus tamen, accipi posse ea, quæ eleęmosinæ nomine, vel pietatis studio fuerint oblata; Cum modestia tamen, vt in omnibus exhibeat se quisque Christi Ministrum, & Dispensatorem multiformis gratiæ Dei.

Dec. 5. Suscipientes Sacramenta, non admittātur armati: Etiā Patrini.

AD Sacramentorū susceptionem nemo admittatur armatus, vel indecoro vestitu ornatus; sed omni ratione debitus religionis cultus etiam extrinsecus præbeatur. Quod etiam intelligi volumus de ijs, qui de Sacro baptismatis fonte aliquem suscipiunt, vel in cōfirmationis Sacramēto Compatres adhibentur. Omnis clamor, stridor, risus, dissolutio, & quoduis simile tunc prohibeatur; Valde enim indecorum est, ea, quæ ad animas sanctificandas sunt instituta, profanis immisceri.

Dec. 6. Seruetur Rituale. Et nemo agat per Substitutum.

IN ipsis administrandis, ne latū quidem vnguem quis discedat à ceręmonijs, in Rituali Romano præscriptis. Cui volumus, vt Parochi continuò studeant, vt ritus mente calleant; ne dum administrant, cum magno dedecore, & populi scandalo cogantur Rubricis illis studere. Vnde propterea mandamus, ne Sacramētorum administrationem Presbyter aliquis sibi vendicet, (præterquàm in casu necessitatis) cui animarum non impendat cura; neque de proprij Parochi commissione, nisi à nobis peculiariter ad hoc fuerit examinatus, & approbatus. In quo casu, tàm Parochus permittens, quàm Presbyter administrans, erunt seuerissimè puniendi.

Dum

DVm ad illa administranda ægrotis, fuerit Parochus accersitus, statim quauis mora postposita accedat; nec ab aliqua proprij cõmodi, vel necessitatis occasione retardetur, quin per se ipsum, vel per alium approbatum, munus hoc præstetur. Et nouerit, præter peccati mortalis labẽ grauissimã, seuerissimas se pœnas in nostro Foro daturum, si quispiam absque Sacramentis Ecclesiæ, sua culpa, ab hac vita decesserit. Sacramenta verò non alibi quàm in propria Parochia ministrentur; nisi de nostra expressa licentia, vel vrgens ad hoc adegerit necessitas.

Dec. 7. Sine mora ad infirmos vocãtes, adeũdum.

ADuertat itẽ, se debere habere intẽtionẽ ipsũ Sacramentũ cõferẽdi, & faciẽdi quod facere intendit Ecclesia, cuius est minister; Propter quod si absque hac intentione faceret, nullum esset Sacramentum. Et quamuis opus non sit hanc intentionem esse actualem, sed satis sit, quod sit virtualis; id est, quod dum accedit ad Sacramentum conferendum, accedat animo faciendi quòd facit Ecclesia, licet non dicat actualiter: *Intendo facere, quod facit Ecclesia:* Tamen ob ipsorum Sacramentorum reuerentiam (ne materialiter solùm corpore adesse, animo tamen inde abesse videatur) semper melius erit, ita præsentem esse animo, vt actu, quod facere intendit faciat, & recogitet. Doceatq; si suscipientes sint adulti, in ipsis etiam intentionem requiri. Nam in paruulis, Ecclesia supplet intentionem illorum: in adultis tamen propria requiritur voluntas.

Dec. 8. De intentione ministrãtium, atque suscipiẽtiũ Sacramenta.

Trid. sess. 7. c. Conc. Flor. in vni. Armen. S. Th. 3. p. q. 68

MOnemus præterea omnes, quod quamuis in Doctoribus inueniantur multa opinabilia dicta, circa materiam, & formam Sacramentorum, quod scilicet hæc bona sit, vel non bona,

Dec. 9. Quilibet vtat Forma Ecclesiæ consueta, nihil mutãdo, addendo, vel transponendo.

quæ opiniones probabiles sunt speculatiuè; non tamen propterea vlli licere illas in praxi ponere, cum in hac materia Sacramentorum, adeò districtè ad animarum salutē spectante; sēper iuxta tutiorem debeamus sententiam operari. Quo circà diligenter quisque caueat, non solùm Sacramentorum formis quidpiam non addat, demat, commutet, vel transponat, sed neque etiam in cęteris, tùm verbis, tùm rebus, & actionibus noui aliquid admittat, sed in omnibus antiquissimum, eumque simplicem S. R. E. vsum retineat. Et nouerint, anathematis mucrone feriri à Sac. Trid. Conc. eos, qui dixerint, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in Sacramentorum administratione adhiberi cōsuetos, aut cōtemni, aut sine peccato pro libito variari, vel omitti posse à ministris; aut in alios, per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse.

Cap. Omnis. 22 dist. cap. quia nesciūt. 11. dis. c. alienus, & c. quia 24. q. 1.

Triden. sess. 7. can. 13.

Dec. 10. Effectus Sacramentorum est, gratia sāctificans.

QVò autem Fidelis Populus, non solùm ad Sacramenta suscipienda, sed etiam ad rem, & virtutem illorum consequendam faciliùs disponatur, docendus etiam erit à Parocho, quisnam sit primarius, & principalis ipsorum effectus; Est enim gratia illa, quæ vsitato à Sacris Doctoribus nomine, iustificans, siue sanctificans dicitur: Hanc enim miram charitatem voluit misericors Deus nobis elargiri, vt filij ipsius nominemur, & simus. Sic enim ipse Ecclesiā dilexit, vt se ipsum tradiderit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ. Quamuis quo pacto res tam mirabilis fieri posit, vt aqua v.g. corpus abluat, & cor tangat; humana non posit intelligentiā, vel ratione comprehendi.

Ephes. 5.

Illud

Illud tamen moneant, nos fidei lumine illustratos cognoscere, Omnipotentis Dei virtutem in Sacramentis inesse, quia id efficiant, quod sua virtute res naturales præstare nō possūt. Ad quod in animis fideliū altiùs infigendum, voluit Mitissimus Deus per miracula quædam initio nascentis Ecclesiæ, corroborare: per quæ mirabiliter operata constantissimè crederemus, per sensibilia illa exteriùs facta, miras interiùs nobis infundi virtutes; Vndè non solùm baptizato Christo Cæli sunt aperti, & Spiritus sanctus in Columbæ specie apparuit, sed supra Apostolos in die Pentecostes Spiritum sanctum recipientes, apparuerunt dispertitæ linguæ tanquam ignis. Et vt demonstraretur virtus, interiùs operans, qui priùs infirmi erant, vt ad vnius ancillæ vocem Christum negare non veriti fuerint, postmodū ad subeunda mortis etiam pericula, pro Christi nomine, alacriores sunt reperti. Quæ similia etiam miracula Apostoli ipsi in Sacramentorum collatione sunt operati, donec fides fuit stabilita, & corroborata.

Dec. 11. Populus est instruendus, Sacramēta fuisse per miracula confirmata.

Matth. 3. Mar. 1. Luc. 3.

Act. 2.

Sic ergo ostendent, quàm sint Sacramenta ad salutem necessaria, vt sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines à Deo gratiam iustificationis non possint adipisci. Licet omnia singulis non sint necessaria. Continēt etiam gratiam, quam significant, illamq; non ponentibus obicem conferunt, vt propterea ad illa suscipienda maxima sit nobis accedendum deuotione, & humilitate, nulla lethalis peccati macula inquinatis.

Dec 12. Sine voto saltem suscipiēdi Sacramenta, non potest haberi gratia. Et ponentibus obicem non confertur.

Triden. sess. 6. c. 7. & car. 5. & sess. 7. cā. 4. Conc. Flor. sub Eugen. 4.

De Baptismo. Cap. II.

MYsticus ille Patriarcha Iacob, Christum dico, vt dilectã Ecclesiam sibi copularet in Sponsam, è Cęlesti Patria in Mesopotamiam, longinquam nempè huius mundi regionem, peregrè est profectus; Atq. in Crucis suæ baculo, mundanarum passionum, non Iordanem solùm, sed mare turbulentissimum pertransiuit; Sponsamq. sicut Iacob apud puteum adinuenit; Ecclesiam enim Christus per aquam baptismi, & lauacrum regenerationis sibi copulauit; Neque enim mysterio vacat, quòd Sãcti Patriarchæ ad puteos Spõsas ad inuenerint, & fõtes, easq. sibi ad aquas copularint. Iungenda Isaaco Rebecca ad puteum inuenitur; Rachel, quam accepturus erat Iacob, ad puteum agnoscitur; Sephora, quæ Moysi iuncta est, ad puteum reperitur. Cum enim Christi Domini Saluatoris typum Patriarchæ illi præferrent, ideò ad puteos, & fontes inueniunt Matrimonia, quia Christus ad aquas baptismi Sponsam erat Ecclesiam inuenturus. Verùm, cùm illam proiectam super faciem Terræ, in abiectione animæ suæ inuenisset; cùm illam in sanguine scelerum suorum vidisset conculcari, quia illa, quæ iam aduenerat, temporis plenitudo, tempus erat amantium; expandit amictum suum super eam, & operuit ignominiam illius: nudamq. illam atque inopem cùm inuenisset, mirum in modum exornauit: illamq. sibi coniungio volens copulare, lauit illam aqua, & emundauit sanguinem suum ex ea. Baptismus enim primus est, cuius salutari aqua coenum peccatorum, scelerum sanguis, ac tabus eluitur, post-

Aug. Serm. 80. de temp.

Ezech. 16.

mo-

modum verò illam oleo, Sancti nimirum gratia Spiritus vnxit; discoloribus virtutum, quæ illam mirabiliter exornarent, vestiuit habitibus: Multarum enim virtutum Ecclesia nitescit adornata splendoribus: affectuum pedes muniuit, Iacinthinis sanctarũ cogitationũ calceis, carnis effrenatas cupiditates coërcens; cinxit illam cingulo byssino, & candidissimo puritatis; aurearum operationum armillas in manibus tradidit; inaures obedientiæ illi donauit; capiti suo regni coronam dedit, & diadema. Iam quis admiretur ampliùs formam pulcherrimam, Virginemque electissimam Rebeccam? Quis Rachelem decoram facie, & venustam aspectu? cum Ecclesiam Christi Sponsam, baptismi aqua lotam, innixam super Dilectum suum, de deserto ascendere videat, delitijs affluentem? Ecce Sponsa illa, quæ in loco horroris, & vastæ solitudinis, in summa rerum degebat miseria, delitijs nunc, & diuitijs affluit. Sed vnde illi tot delitiæ, tot diuitiæ? Quonam pacto ex humili illo loco, ad tàm excelsum ascẽdit honorem? Nempe quia ad baptismi fontem illam sibi Cęlestis ille Sponsus desponsauit. Terra enim carnis humanæ, quæ in primo fuerat præuaricatore maledicta, per baptismi fluenta facta est germen benedictum, & à vitio suæ stirpis alienum. Spiritualem enim originem in baptismi regeneratione quisque consequitur, & omni homini renascẽti aqua baptismatis fit instar vteri Virginalis, eodem Spiritu sancto replẽte fontem, qui repleuit, & Virginem; vt peccatum quod ibi euacuauit sacra Conceptio, hic mistica tollat ablutio. Vnde, vt rectè sanctissimus Leo ait, factus est Christus homo nostri generis, vt nos diuinæ

Gen. 22.
Gen. 29.
Sermon. 5. de Natiu.

uinæ naturæ possimus esse consortes, originem enim, quam sumpsit in vtero Virginis: posuit in fonte baptismatis, & dedit aquæ, quod dedit, & Matri. Virtus enim Altissimi, & obumbratio Sancti Spiritus, quæ fecit vt Maria pareret Saluatorem, eadem facit, vt regeneret vnda credentem. Iure igitur optimo à Sanctis Patribus baptismus splendor vocatur animarum, vitæ in melius commutatio, carnis abiectio, peccati diluuium, tenebrarum depulsio, lucis communicatio; Illo enim actualis, & originalis culpæ macula diluitur, mitigatur fomes, gratia comparatur, atque in Dei filios adoptamur, qui priùs iræ filij nascebamur. Renatus enim per aquam, & Spiritum sanctum nobis cælestes ianuæ patefiũt: Sic inquinatas stolas nostras lauamus, atque in immaculati agni sanguine dealbamus, sic illum, quocunque ierit, sequimur, sic cum illo qui in Crucis suæ baculo mundanarum tribulationum pertransiuit Iordanem, in duas Angelorum, & hominum turmas diuisi, in patriam, ad quam creati sumus, reuertimur sempiternam.

Naziãz. orat. de baptismo.

Dec. I. De Baptismi efficacia, & necessitate.

QVoniam permulta sanctè, & laudabiliter in alia Synodo typis iam excussa, sunt luculenter sancita, circa baptismi tempus, formam, materiam, cæræmonias, qualitatem fontis baptismalis, sacri olei, obstetricum, & Cõpatrum, qui de sacro baptismi fonte suscipiunt: Ideò iterum præcipimus, ac districtè mãdamus, ea inuiolabiliter, sub alijs pœnis à nobis iniungendis, obseruari. Admonentes item Parochos, vt in baptismo conferendo doceant Populum per illum regenerari homines in vitam spiritualem. Cum enim crassis, caducisq; rebus, dum in

in hac miseriarum valle degimus, simus immersi; Sacramenta voluit mitissimus Deus instituere; quibus per sensibiles res, inuisibilis, & spiritualis effectus, quem interiùs operatur gratia, significaretur. Maximam enim habet spiritualis vita cum carnali proportionem; Sicut namq; in carnali vita semel nascitur homo, ità etiam per baptismum semel renascitur in spirituali. Propter quod, vnum confitemur baptisma, in peccatorum remissionem. Et sicut ianua hominis in vitam carnalem ingredientis est generatio, ita in spiritualem est baptismi regeneratio. *Nisi* enim *quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ioan. 3.

Dec. 2. Cur materia Baptismi data sit aqua?

DOceat item Parochus Populum, quàm aptè Diuina prouidentia disposuerit, vt huius Sacramenti materia esset aqua: non solùm quia sic fragilitati humanæ naturæ erat consultum, propter instantes necessitates, vt illa esset huius necessarij Sacramenti ad salutem materia, quæ faciliùs in necessitatibus externis esset obuia; sed etiam vt interior significaretur effectus. Vt enim aqua sordes abluit corporis, illudq. refrigerat, ita baptismus abstergit interiores maculas, ardoremq. cupiditatum extinguit.

Dec. 3. Aqua debet esse benedicta. Et decenter cõseruari

ET quamuis quælibet aqua simplex, cum aliqua vrget necessitas, materia apta sit ad baptismum conficiendum; semper tamen ab Apostolorum temporibus obseruatum fuit, vt adhibitis quibusdam solemnitatibus, præsertim cum sacro Chrismate, aqua in Ecclesia asseruaretur. Quam quia decet semper mũdam, & ab omni inquinamento purã asseruari; præcipimus, vt fons baptismalis non solùm sit bene clausus, cum decenti

centi operculo, ex tabulis ita compactis, vt ne subtilissimus quidem puluis ingredi possit; sed etiam conopæo albi coloris, qui huius Sacramenti mysterijs valde competit, cooperiatur. Atque sepimento ferreo, vel saltem ligneo vndique muniatur. Et in pariete ex parte posteriori, proxima ipsi fonti, depicta habeatur S. Ioannis Christum Dominum baptizantis imago.

Dec.4. De pelui non profananda. Aqua bis renouanda. Et in sacrario refundenda.

QVod si fons baptismalis non erit ita cõpactus, vt aqua quæ defluit è baptizandi capite, possit statim per meatum aliquem ad sacrarium recurrere; peluis quæ ad aquam illam recipiendã, ibi est parata, non nisi ad sacros vsus possit applicari. Et omninò aduertatur, ne aqua defluens è capite baptizandi, recipiatur iterum in eundem fontem, à quo fuit desumpta. Mutetur semper bis in anno, semel nempè in Sabbato Sancto, iterum in Sabbato præcedente festũ Pentecostes; adhibitis singulis vicibus ceræmonijs, & ritibus præscriptis in Missali Romano. Et dũ mutatur, fons ex omni parte optimè purgetur, & abstergatur: aqua veteri in sacrariũ refusa.

Dec.5. Vas nõ sit fictile. Sit Chrisma recens. Et linteola comburantur.

AD aquam infundendam in caput baptizati, nullus vtatur vase vitreo, sed cocleari argenteo, vel ad minus stamneo, vel alio simili vase, quod habeat ex altera parte canaliculã, vnde aqua possit diffluere; Et taliter etiam sit compactum, vt possit vel appendi, vel decenter asseruari. Cautio item sit Parochis, ne infans alio, quàm eo ipso anno consecrato Chrismate vngatur. Linteola etiam, quibus baptizati caput abstergitur, vel bene purgata in aliquem sacrum vsum conuertãtur, vel comburantur; cineribus in sacrarium proiectis.

c. si quis diab. de Cons. dist. 4

Do-

DOmi baptizetur infans, si vitæ discrimen immineat. In quo casu, si proprius absit Sacerdos, baptizet alius; vel saltem sacris initiatus, vel laicus; primò masculus; deinde fœmina; nisi fortè sit obstetrix, quæ propter consuetudinem, quam habet, sit aptior laico idiota. In quo casu, saltem infra octo dies, si superuixerit infans, ad Ecclesiam deferatur, & tunc Parochus, facta diligenti inquisitione, si deprehenderit illum ritè, rectèq; baptizatum, suppleat tantùm alia, quæ in Rituali Romano præcipiuntur. Et caueat ne etiam sub conditione rebaptizet eum, in quo nullum est probabile dubium, an fuerit baptizatus.

Dec. 6. Quis cui, necessitatis tẽpore vt baptizet, præferatur. Et de non rebaptizãdo.

De cõs. dist. 4. D. Thom. 3. p. q. 67.

C. de quibus de baptism. & eius effectu.

VErba formæ; *Ego te baptizo*; pedetentim, simul cum aquæ infusione pronuntientur, cũ maxima attentione; ne incautè ob celeritatem aliquod essentiale omittatur in perniciem animæ infantis. Quod item moneant Parochi obstetrices, vt seruent. Et doceant illas, vt non se intromittant in baptizando domi, nisi vrgente necessitate, vel propter difficultatẽ exitus partus, vel quia stante periculo non habetur tempus ducendi ad Ecclesiam, vel proprium Sacerdotem habendi.

Dec. 7. Verba formæ, congruè, cum materiæ applicatione, proferantur.

Conc. Vienn. relatũ in Clement. vnica, de Bapt.

DOceant Parochi parentes, dum matrimonio iunguntur, vt quando illis Deus prolẽ concesserit habere, quamprimum illam baptizari curent. Nam quamuis concedi soleat, vt expectari possit vsque ad octauum diem, tutiùs tamen est, & cautiùs, propter contingentia pericula, statim ab originali macula illam abluere. Et quia nihil tam piũ est in ecclesiastico cultu, quod non quæsierit magica ars ad impietatem suam transferre; ideò præcipimus, vt sal exorcizatum,

Dec. 8. Non expectet octauus dies.

Cathechism. Rom. de bapt.

albula,

albula, siue sudariolum, & candela, quæ in baptismi administratione fuerint adhibita, nullatenus domum frustra reportanda concedantur: ne ad pietatis opus instituta, improborum hominũ malitia, in sacrilegos, nefariosq; vsus conuertantur.

Dec. 9. De Sanctorum nominibus imponendis.

Cathechism. Rom. de bapt. in fine.

S. Carolus in actis Eccles. Med. p. 1. tit. de bapt. c. 21.

S. Io. Chrys. in homil. 21. in Gen.

Io. And. c. cũ secundum, de probat. n. 2.

SEdulò item animaduertant Parochi, ne in infantibus, dum baptizantur, aliquid superpositum sit, quod superstitioso alicui vsui esse noscatur; atq; dũ baptizato nomen imponitur, omnino curetur, vt tale non imponatur, quod turpe vel ridiculum sit, aut quod alicuius ex dijs gentium, atque impiorum, vel impurorum hominum memoriam referat; sed illorum tantum, qui propter animi excellẽtiam, pietatem, & religionem, in Sãctorum numerũ sunt relati; ne in ipso Christianæ Religionis limine, cum Ethnicis aliquid, etiam in nomine, commune habere videatur; nam ita etiam facilè fiet, vt eum, cuius habet nomen, habeat etiam, quem in Terris imitetur, & in Cælis à quo protegatur. Reprehendat ergo Parochus parentes, si quando talia nomina imponere voluerint, & omnino hoc non permittat.

Dec. 10. De adultis Iudæorũ, & Turcharum, non baptizandis, absque Præsulis cõmissione.

NVllus, ex animarum curã gerentibus, præsumat baptizare adultum aliquem Turcã, Iudæum, vel Maurum, aliosq. similis farinæ homines, nisi priùs expresse hoc illis fuerit à nobis commissum: Diligenter enim priùs erit inquirendum, an nouerit Christianæ vitæ rudimenta; an admissorum scelerum in anteactæ vitæ pœnituerit, à præcedente lege in qua natus est, omnino abhorreat, an statuat in posterum à peccatis omnibus abstinere, & in virtutibus Christianis se exercere. Neque vnquam hoc nisi oculatissimè per-

permittatur, præsertim in ijs, qui girouagi sunt; Multoties enim, (quod horribile dictu est) fingunt se infideles esse, & velle baptizari, propter turpem quæstum, ad quem solum per illas perfectiones anhelant. In simili ergo casu, omnis diligentia adhibeatur, vt illorum cōditio, & status probatissimorum virorum testimonio dignoscatur.

QVia verò in baptismo abrenuntiandum est Sathanæ, & pompis eius, & Patrini, præsertim hoc, infantis nomine spondent; adulti verò propria voluntate; Ideò omninò est docendum, vt baptismi tempore puer simplici amictu indutus, ad illum deferatur. Qui verò illum suscipiunt de sacro fonte, omni qua decet Christiana modestia accedant, armis depositis. Quod multò magis intelligendum erit de adulto; si quando aliquis in nostra Diœcesi ad sacrum fontem accesserit; Neque enim consentaneum videtur, in ipso Christianæ vitæ ingressu, ijs studere, quibus potissimum solemni sponsione renuntiatur.

Dec. 11. Pompa vestiū deponenda.

Cathechism. Rom. cap. de bapt.

STudeat verò Parochus, præsertim Constitutioni sacri Conc. Trid. inter quosnam spiritualis cognatio in suscipiendo de sacro fonte contrahatur. Et quia, nisi ad illas personas ibi expressas, talis cognatio non extenditur; ideò desuetudinem illam, & abusum, omninò abrogari mandamus, quibus alij, præter eos, qui de sacro fonte susceperunt, se compatres putant, quos in nonnullis nostræ Diœcesis Castris, cōpatres nuncupant *ad carolenum*; distinguentes ab alijs, qui verè compatres sunt, quos vocant *fontales*. Districtè hoc ergo Parochis mandamus abrogari, vt sciatur, absque ambiguitate quinam verè sunt

Dec. 12. Compatres *ad carolenum* prohibentur.

Sess. 24. cap. 2.

illi, inter quos propter hanc spiritualem cognationem, matrimonium contrahere non licet. Moneant præterea veros compatres, sui muneris, vt postquam fuerit puer in ætate adulta, curent illum fidei rudimentis, & Christianis moribus instrui. Quod decretum vulgari lingua conuersum, ter in anno teneantur Parochi Populo denuntiare, vt omnino talis abusus aboleatur.

Dec. 13. De infantulis separatim accubandis, ne suffocentur.

DEprehendimus persæpè, earum incuria, quę pueris lac præbent, infantes mortis periculo subiacuisse; Ideo moneant Parochi tales, à nobis sub præcepto sanctæ obedientiæ mandari, ne quæ ex illis faciat in lecto suo puerum cubare, nisi elapso biennio. Quod si vrgenti necessitate astringerentur, id non fiat, nisi inter ipsas lactantes, & infantem aliquid intercipiatur, quod prohibere possit, ne dum ipsæ hinc inde dormientes se vertunt, suffocationis, vel compressionis pueri adsit periculum; de quo teneantur Confessarij matres sæpiùs in confessionibus interrogare, & graui pœna delinquentes afficere.

Dec. 14. Vt primum egrediūtur domo, Puerperæ benedicantur, sed nolētes nō cogantur.

PVerperæ cum primùm post partū domo egrediuntur, ad Templum se conferant; Vbi gratijs Deo persolutis, Sacerdotis benedictionem obtineant. Quod si talem solemnitatem missam facere voluerint, nullo pacto ab ingressu Ecclesiæ interdicantur.



De

De Confirmatione.
Cap. III.

POrrò, quos in vita spirituali per lauacrum regenerationis Christus adscribit, eosdem Spiritus sancti gratia in sacri Chrismatis vnctione corroborat; Vt fortes fiant aduersus diaboli insultus athletæ. Sicut enim carnalis homo crescens in vita corporali, indiget roborari; sic etiã in vita spirituali per Confirmationis Sacramentũ firmatur, more Apostolorum, in Christo renatorum; quibus dictum est; *Vos sedete hic in Ciuitate, donec induamini virtute ex alto*. Luc. 24. Hæc profectò erat vnctio condita apud Deum; Hæc erat signata in thesauris suis, in ipso nempè Christi nomine præparata; Neque enim aliud significant illa Canticorum aromata, illa vnguenta pretiosa, Cant. 1. illud fragrantissimum oleum, dum sponsa cælestem suum sponsum exoptans, post ipsum trahi cupiebat, & in odore vnguentorum ipsius adeo peramanter currebat; oleum enim effusum nomẽ est illius. Cur ergo adolescentulæ, animæ nempè nostræ fideles, fide renouatæ in iuuentute, non diligant illum nimis? Vbera quippe illius meliora sunt vino legis, quo Iudæi inebriati illum Messiam, vnctum nempè Spiritu sancto, agnoscere noluerunt. Fragrantia sunt vbera hæc vnguẽtis optimis, & suauissimis, quibus ipse vnctus, vnguentum suum in nos diffundit odoratum. Sic exhilaramus faciem animæ nostræ in oleo; dum enim ipsum amamus, ipsum prædicamus, ipsius Sacramentis incorporamur; & ipse suauissimis vnguentis vnctus, corpus omne mysticum perun-

Theodor. in Cant. git. *Vnguentum enim*, vt ait Theodoretus, *gratia spiritualis est, qua Christus est refertus, quāque ex plenitudine sua nobis impertiuit*. Recedāt ergo vetera de ore illorū, quos Christus sacræ vnctionis vnguento in Christiana militia confirmat. Per illud enim arcus fortium superatur, & infirmi spirituali robore accinguntur. Ecquis enim est arcus fortium, nisi fraudulenta Dæmonum sæuitia? Ex occulto enim, quasi ex arcu, redemptis Christi sanguine, vulnera non cessat humani generis hostis infligere. Superatur tamen arcus iste, per sacram Christi vnctionem; sic enim cum Apostolis virtute induimur ex alto, quia per sacri olei infusionem, in amorem Christi consolidamur; ad gratiæ enim augmentum vocati, in eo suauitatem vitæ inuenimus sempiternæ. Pro cuius suauitatis dilectione, dum omnes mundi fastus, & diuitias respuimus; Tunc profectò odorem vnguentorum Dei sentimus; *Et dum olei in-* Greg. Cant. 1. *fusione inungimur; omnem putredinem abijcimus vitiorum, flores virtutum inuenimus, quorum compositione suauè olentia vnguenta (Deo donāte) conficimus, & tunc mundanarum cupiditatum affectu abiecto, æternorum Collium amore æstuamus*. Huius sacræ vnctionis odor suauissimus, teterrimus tamen impijs visus est hæreticis. Vulturibus enim illis, sese in fœditate peccati volutantibus, teter libidinis odor apparet suauissimus. Cum enim aliud non inhient, quàm cadauera deuorare, suauitatem ipsis exhibent fœda corpora: Vnguentum verò Christi pretiosum, Theod. ibid. fragrantiam illis affert molestissimam. Fugiant ergo homines illi cœlesti hunc odorem, tetrumque vitiorum fœtorem, putridi vt sunt, cōsectentur;

tur;

tur; nos ex Christi fonte, à quo omnis virtutis emanat vnctio, odorem hunc vnguenti suauissimi hauriamus. Sic enim Christi bonus odor erimus Deo; nam facti veluti regia acerra, quocunque abierimus, in omni loco, homines bono suffitu afflabimus; si sicut externam recipimus sacræ Confirmationis vnctionem, ita interiùs odorem spiritualis vnguenti circunferamus.

COnfirmantes ergo omnia, & singula, quæ aliàs in alia Synodo circa obseruanda in hoc Sacramento sunt sancita; Vt nempè Parochi doceant populum vim, efficaciam, & effectum huius Sacramenti; quo tempore sit sumendum; quibus circunstantijs, tum ex parte confirmati, tum ex ipsum præsentantium; Illud præsertim Parochos admonemus, quod in Cathechismo Romano de hoc mãdatur: maximam nempè requiri in Pastoribus diligentiam, in explicandis ijs, quæ ad tanti Sacramenti dignitatem pertinent, ne pauci sint, qui diuinæ gratiæ fructum capere ex eo studeant. Quando ergo à nobis erunt admoniti, quod ministrandum illud à nobis erit; statim conuocato populo, ita illum instruant, vt intelligant, non solum negligendum non esse, sed summa cum pietate, & religione suscipiendũ; ne ipsorum culpa, maximòq. malo eueniat, vt frustra in eos diuinũ hoc beneficium collatum esse videatur.

Dec. 1. Parochi, vt audiuerint Prælatum ad confirmandùm se accingere, Populum instruant. Sess. 2. cap. 2.

Cathec. Rom. de confir.

DOceant ergo, inde constare, Sacramentum hoc magna veneratione tenendum esse, quia non ab omnibus, sed solùm à summis potest perfici Sacerdotibus. Neque enim tempore Apostolorũ, ab alijs, quàm ab ipsis legitur esse ministratum. Vnde, quamuis ita cum baptismo sit coniunctum, vt ab inuicem (nisi mors obstet) nullate-

Dec. 2. Per confirmationem ad spiritualem pugnam roboramur.

Concil. Flor. de 7. Sacr.

Euseb. Papa vt hab. de cõsec. dist. 5.

nus possint separari; baptismus tamẽ est maioris quidem necessitatis; Quia confirmatio sine baptismo non saluat, licet saluet baptismus sine confirmatione; modò non sit per contemptum omissa. Manus tamen impositio per Prælatum facta, maioris est dignitatis ex Ministro. In baptismo ergo regeneramur ad vitam, post baptismum verò per chrisma confirmamur ad pugnam. In baptismo abluimur; per confirmationem roboramur. Et quamuis transituris de hac vita sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt cõfirmationis auxilia; Ad hoc enim nouimus Apostolis profuisse aduentum Spiritus sancti, qui ante illum vsque ad negationẽ Christi fuerunt deterriti; nam post illum, vsque ad mortis sæuissimæ contemptum fuerunt armati.

Melch. Papa, vt in cap. Spiritus sãctus de consec. dist. 5.

Dec. 3. Cõfirmationis effectus est, ne Christũ erubescamus. Deq; eius Materia, & Forma.

IGitur in confirmatione per Christum redimimur, & dono Sapientiæ spiritualis per Spiritũ sanctum illuminamur, erudimur, instruimur, confirmamur; vt illam Spiritus sancti vocem audire possimus. *Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris.* Vndè effectus huius Sacramenti est, quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pẽtecostes; vt Christianus hilari animo, & promptè profiteatur Christi nomen; Ideo enim in fronte, vbi verecundiæ Sedes est, confirmandus inungitur, ne Christum confiteri erubescant; & præcipuè Crucem, quæ Iudęis fuit scandalum, gentibus autem stultitia. Ideo enim signo Crucis obsignatur. Vnde propter dicta, huius Sacramenti materia est chrisma confectum ex oleo; quod nitorem significat conscientiæ: & balsamo; quod odorem designat bonæ famæ. Forma verò; *Signo te signo Cru-*

Psal. 31.

Crucis, & confirmo te Chrismate salutis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti. Amen.

ADmoneant item Parochi populum, nō solùm Sacramentum hoc absque peccati lęthalis periculo prætermitti non posse; verùm etiam nec posse absque sacrilegio scienter iterari; quoniam characterem in confirmati anima imprimit. Quod si quis audacter iterum Sacramentum hoc præsumpserit iterare; ipso facto propter huius lęthalis peccati, & sacrilegij culpam, ab ingressu Ecclesiæ sit interdictus.

Dec. 4. Reiterantes, ab ingressu Ecclesiæ interdicuntur.

MOnemus insuper Parentes; vt statim ac vident suos pueros ad annos discretionis peruenisse, ad Sacramentū hoc suscipiendum faciant præsentari; Cum sæpè acciderit, multos grandiores effectos, præ pudore seræ susceptionis, absque confirmatione ex hac vita migrasse. Quod si qui pueri in nimis tenera ætate fuerint confirmati, ne ex ipsorū memoria hoc excidat; sæpè à parentibus, & susceptoribus de hoc moneantur; Tum vt vim huius Sacramenti sciāt, tum etiā ne obliti illud iterum suscipiant. Ad quod vitandum, præcipimus librum per Parochos confici, in quo Nomen confirmati, & Patris, ac Matris, atque Patrini nomina, cum loco, & tempore describantur. Quo libro vti poterunt, ad vitandum etiam illicitos matrimoniorum contractus, cum in hoc Sacramento, vt in baptismate spiritualis cognatio contrahatur: Quemadmodum superius Decreto duodecimo determinauimus.

Dec. 5. Grādiores nō morentur confirmari. Deq. libro conscribendo Confirmatorum.

Hic fol. 115

De Augustissima Eucharistia. Cap. IV.

Psal. 138. MIrabilis planè Dei scientia facta est ex nobis: Animæ nanq; nostræ capacitas, multis mirabilibus est mirabilior. Etenim tanta est, vt vel ipsius amplæ Telluris vastitas, & quicquid illa suo circum gyro continet, ne dum non possit spatia nostræ contemplationis explere, quin potius, tàm exiguam partem occupet, vt ea interdum æstimari à nobis soleat ad instar puncti. Oceani fluctus Æquorumq; illa Æquora, lateq; fluentes gurgites, vno mentis intuitu comprehensos, & vna facilè videas cogitatione coèrcitos. Cęlorum nunquam emensa còrpora, Orbesq; illi velut ære fusi, tã varijs distincti gẽmis, Stellarũq; saphiris: mœnia picti mundi, in quibus maximè sapientia supremi emicat architecti: quos creauit vt suam ab alto enarrẽt gloriam, & ipsis etiam surdis suã exprimant maiestatem: quantumuis rapida vertigine circunferantur, humanæ mentis aciem non effugiunt. Longè tamen mirabiliorem memoriã fecit Deus suorum mirabilium, & non poterimus ad eam; Cum scilicet misericors, & miserator, his qui timẽt illum escam se prębuit: Quibus sub bina specie, in cibum suam carnem exhibuit immaculatam, & pretiosum propinauit in potum sanguinem: Nam hoc profectò tam admirandum est Sacramẽtum, vt mentes sistat humanas, immò omnem planè elabitur intellectum: Itaut ipsum intimè contẽplantes, necesse sit, deserto corpore excedere, & in ecstasim à sensu rapi. Quòd enim panis in Christi Domini carnem transeat, vinum

Psal. 110.

verò

verò in sanguinem, hic omnis muttat Eloquentia, & vniuersa Sophia stupeat. Porrò hæretici, sciographiq; cum Iudęis inuicem litigant: *Quomodo potest hic nobis carnem suã dare ad manducandũ?* Ioan. 6. F.
Volentes visu, atq; tactu decernere, quod sola Fide sublimiùs attingerent animosa. Fideles vero animæ, cum Isaac, licèt caliget oculus, licet gustus humana industria venatũ cibum æstimet, licet deniq; olfactus solam antiquam percipiat redolentiam; Tamen per auditum Fidei, certiorari se posse non trepidant, nec se putant per auditum Verbum decipi, sed tutò asserunt: *Vox Iacob est.* Gen. 47. C. Vnde, & credunt quicquid dixit Dei filius, nihilq; esse veritatis hoc verbo verius. Ipse porrò qui nos ad hanc suam cęnam aduocat commensales, est qui dixit Apostolis: *Accipite, & comedite: hoc est corpus meum. Et hic est calix sanguinis mei.* Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ipse nimirum per quem solo nutu facta sunt omnia, & cuius solo iussu omnis genita est creatura. Epulemur propterea; Et ne dum edamus, quoniam per ipsum inter edendum mandere, significatur in credendo aliqua difficultas; Sed & bibamus: Vt scilicet ea nobis vltrò videãtur mysteria liquidiora: Quin denique inebriemur, vt mente excedamus omninò, cum his qui assueuerunt Deum sensisse familiarem. Quibus omnibus dictum est: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Can. 5. A. Epulabantur Iudęi in illo Agno Typico, & nos in Agno qui tollit peccata mundi, in azimis tamen sinceritatis, reiecto fermento veteri pariter epulemur. Accingamus renes cingulo, puritatis. Affectus, quibus tãquam pedibus accedens, & recedens incedit anima, pijs, sanctisq; cogitationibus calceemus. Et quia duobus

bus pedibus gradimur; Intellectu nempè, & voluntate; illum muniat Fides, hanc perfecta in Deum Charitas circùm contegat. Baculumq; Crucis eius habeamus in manibus: nam in ea Cęna mortem Domini annuntiamus. Cùm lactucis porrò agrestibus, annos pręteritos in nostrę animę amaritudine recogitantes. Donec introducat nos in Terram fluentem lac, & mel: vbi dabitur ex sua nobis gratia, sempiterna repleri fructione, quam pretiosi corporis, & sanguinis ipsius temporalis percæptio præfigurat.

Dec. 1. De diligĕtiori obseruătia huius Sacramĕti, &Signo præcipuæ dilectionis.

QVantò ergo Sacramentum hoc prę omnibus alijs est honorabilius, propter veram, realemq; Christi præsentiam, tantò acriùs, & districtiùs præcipimus obseruanda ea omnia, quæ tum in administratione, tum in ipsius custodia, & reuerentia, sunt in alia Synodo sancita. Nouerint item omnes, hoc præsertim diuini amoris memoriale contineri. Nempe cùm Dominus dilexisset suos, in finem præcipuo amoris signo dilexit eos; Et vt sui diuini amoris admirabile aliquod pignus daret, ne vnquam à suis abesset, inexplicabili consilio, illud, quod omnem Naturæ ordinem transcendit, carnem suam in cibum, & sanguinem suum in potum tradens, reliquit: vt qui suam carnem mãducaret, & suum biberet sanguinem, vitam haberet æternam.

Dec. 2. De hoc Sacramĕto frequĕtando, & de prima vice suscipientibus.

ET quia in hac deploratissima Mundi vita vnicum est Eucharistia piarum mĕtium solatiũ, ideo monĕdus est cõtinuò populus, & ad frequentiorem tanti Sacramĕti vsum, quò vberiores fructus, & virtutum possit capere incrementum, sæpè suadendus, & incitandus; Est enim quotidianum, quotidianæ infirmitatis remedium saluberri-

rimum; ad cuius sumptionem, non intima solùm animi pietate, sed externa etiam cultus, & vestitus modestia, & humili genuflexione debet vnusquisque accedere. Quod si quis primâ vice, iuxta Confessoris iudicium, fuerit ad cęlestem istam mensam destinatus; ad cognoscendã tanti Sacramenti præstantiam, pietatemq; excitandam, diligenter per Parochum instruatur.

Trid. cap. 5. & can. 6. sess. 13. Matth. cap. 15. in illis verbis Væ tibi Corozaim, Væ tibi Bethsaida.

Dec. 3. Eucharistia in sola Matrici Ecclesia asseruanda; Maior verò hostia pro 40. horis, & in processionibus deferatur.

CIrcà decorem verò, tàm in asseruando, quàm in ministrando hoc Sanctissimum Sacramentum, quia præsertim in Ciuitate nostra S. Germani, propter populi multitudinem, aliæ (præter Matricem Ecclesiam) sunt Parochiales deputatæ, cùm in illis non possit decorè Sanctissimum Sacramentum asseruari; præcipimus; vt in Matricis Ecclesiæ Cappella ad id destinatâ, continuò pro tota Ciuitate asseruetur; inde sumendum ab ipsis Parochis, dum de hoc ab ægrotis requiruntur. Ad quos nonnisi minores particulæ deferantur; Grandior si quidem hostia, extra Missam solummodò, processionis, & orationis quadraginta horarum gratia, est adhibenda.

Trid. c. 6. sess. 13. de asseru. Sac. Euch.

cap. Presbyter de cõs. dist. 2. c. sancimus de celebrat. Miss.

Dec. 4. De corporali sẽper adhibendo, baldachino, & luminibus, Populoq; in fine benedicendo.

ADuertant item Parochi, vt non solùm in loco, vbi continuò conseruatur pyxis cum sacratis particulis, sub illa sit corporale nitidum, vel palla, sed etiam, dum ad infirmos defertur, semper simul deferatur: nec vnquam nisi super corporale, vel pallam, pyxis deponatur. Et dum per Oppida, & Castra deportatur, semper sub baldachino deferatur, & cum maiori qua fieri potest, luminum multitudine; Quorum duo saltem sint circum circà contecta, ne casu à flantibus ventis, omnes cerei per viam extinguantur. Et dum ad Ecclesiam reuertitur Sacerdos, qui Eucharistiam infir-

Syn. Florẽt. de Sacram. Euch. Sacerdo. Rom. p. 1. tract. de Sacramẽt. Euch. partic. 2. c. 8. Syn. August. cap. 28.

infirmis ministrauit, populo, qui Sanctissimum Sacramentum per viam sociauit, cum pyxide, in qua conditur, benedicat; illiq; sæpiùs indulgentias hac de causa concessas, annuntiet, quò frequentior sit populi in similibus casibus cõcursus.

Dec. 5. De eo non deferẽdo si sumi nequit. Et de pœna Parochi si cuiquã desit.

QVod si contigerit aliquem infirmũ, propter difficultatem deglutiendi particulam, aut propter euomendi illam periculum, non posse Sanctissimam Eucharistiam sumere; ostendat eam Parochus illi adorandam, si hoc contigerit, dum ad infirmi domum accessit. Sin autem antequàm accedat, hoc ex Medici fide certò sciat; nullo pacto cum Sanctissimo Sacramento ad infirmum accedat; sed tantùm absque illo. Atque infirmum inde confortari nitatur, quòd etiam si Christus sua Sacramentali præsentia illũ non inuisit, cordè tamen si illum reuerenter adoret, ab illo gratiã sit interius suscepturus. Diligẽtiam autem summam seruent Parochi, ne quisquã infirmus ipsorum culpà absque hoc salutari Sacramento, ex hac vita decedat. Quod si hoc aliquandò (quod absit) cõtigerit, grauissimas erunt pœnas luituri.

Cap. si Presbyter, & c. agnoscimus 26. q. 6. glos. in c. officium de offic. archip. in ver. fine cõfessione.

Dec. 6. De summa reuerentia exhibenda.

ET quamuis Deus sit vbique adorandus, propter hanc tamen peculiarem Sacramentalẽ præsentiam, particulariter ibi est religiosa reuerentia colendus, & cum timore, & tremore ante ipsius præsentiam standum. Si quis ergo dum per viam sanctissimum Sacramẽtum defertur, inuentus fuerit, vel equo insidere, vel aliter vehi, statim descendat, & genuflexus cum omni reuerentia adoret; terga nunquam vertens, vsq; dum sanctissimum Sacramentum ab oculis eius amoueatur. Quod idem seruent, qui artes in plateis exer-

Triden. cap. 5. sess. 13.

exercent, vt nullo pacto caput operiant, donec per totam, in qua morantur ipsi, plateam Sacerdos cum sanctissimo Sacramento pertransierit.

Quod si quis infirmus postquam per modum viatici sanctissimum Sacramentum sumpsit, superuixerit per multum temporis, permanens tamen in infirmitate, vt ad Ecclesiam accedere nequeat, volueritq; communicare; Parochus huic pio, & religioso desiderio non desit; modò non det illi per modum viatici; sed dum omninò est ieiunus. Immò nec det per modum viatici non ieiuno, nisi quando Medicus iudicauerit infirmum esse in extremo vitæ discrimine; Quando enim ex probabili iudicio differri potest, si infirmus non sit ieiunus, debet, & in aliud tempus differri.

Dec. 7. De eo in infirmitate resumẽdo. Deq. sũptione p modũ viatici differẽda.

Nauar. lib. 5. de celeb. miss. cons. 10. Armill. in ver. cõmunic. n. 18

Diligenter, & sæpè commonefaciat Parochus Populum, vt omnes, quicunque sint, qui sãctissimo Sacramento, dum per viam fertur, obuiã fiunt, pro Christianæ religionis cultu, nisi vrgenti necessitate, vel occasione sint impediti, vsque ad domum infirmi, & ad Ecclesiam quoque in reditu, pia veneratione prosequantur. Quod ipsum præcipimus Clericis omnibus, non solùm propter debitum, quo ad hanc venerationem communiter tenentur, sed maximè, vt ab illis Laici religiosissimi huius actus sumant exempla. Familia verò quæ domi habitat, vbi est ægrotus, vel ad Ecclesiam vsque, vel saltem extra ianuæ fines, cũ cereis accensis obuiam procedat, & id ipsum in recedendo obseruet.

Dec. 8. De huius Sacramenti officioso comitatu.

Atque vt debito honore tam altum mysteriũ tractetur, præcipimus, vt nisi graui vrgente periculo ad ægrotos noctu non deferatur. Et sem-

Dec. 9. De eo noctu si. ne necessitate nõ deferendo. Deq. cubicu-

lo ad quod defertur decenter præparãdo

r. Sacerdotal. Roman. par. 1. tract. 4. de Sacram. Eccles. partic. 2. c. 81.

Synod Floren. de Sacram. Eucharist.

semper, ac defertur, curet Parochus parentes infirmi admonere, vt ægrotantis cubiculũ, ab omni inquinamẽto purgetur; remotis inde profanis, & maximè inhonestis imaginibus, si quę fuerint. Et mensa præparetur, cum mappa nitida, & pura; supra quam sit Crux, vel aliqua sacra effigies, cum duobus saltem cereis accensis. Quos si infirmus, propter nimiam paupertatem, non potuerit præparare, teneatur Parochus illos ab Ecclesia deferre.

Dec. 10.
De assistentia in 40. horis, nõ interpolanda. Et de ea, nocturno tempore non prosequenda.

DVm verò sanctissimum Sacramentum, vel propter orationem quadraginta horarum, vt perspicuè adoretur, in altari proponitur, vel dum in maiori hebdomada in Sepulchro reponitur; Præfecti Ecclesiarum curent, vt continuò per vices duo saltem Clerici genuflexi, & capite omnino discooperto, ante illud assistant; quorum alter, vbi commodè fieri potest, sit saltem in ordine Diaconali constitutus. Et deputentur graues ac pij viri, quorum singuli per vices asciscant aliquem sibi hominum numerum, vt sine intermissione supplices ad Deum preces fundantur. Orationes item quadraginta horarum ita disponantur, vt solùm diurno tempore fiant, nec prosequantur, nobis inconsultis, tempore nocturno.

Dec. 11.
De Eucharistia sæpiùs à requisitis Sacerdotibus in missa, ministrãda. Et sũptione particularum, quæ supersunt.

Cap. etsi non frequentiùs de consec. dist. 2.

DIstrictiùs autem mandamus Parochis, vt quantumuis alijs occupationibus distenti, non negent hanc spiritualem consolationem, & salutare adiumentum ijs, qui religiosa præparatione priùs adhibita, voluerit sæpiùs infra annum sacra se communione reficere. Quod iddem prę-cipimus alijs Sacerdotibus, dum de hoc in Missarum celebratione requiruntur. Quod dũ faciunt, aduertant, ne priùs ipsi purificationem recipiãt, quàm

quàm alios communicent; vt possint etiã ipsi reliquias aliquas, si in pyxide, vel patena remanserint, assumere. Quod si quando remanebunt, poterunt vel cum ablutione, vel ante illam sumi. Vnde, præsertim in frequentioris Populi communione, si ablutione sumpta, deprehẽdũtur aliquæ reliquiæ remansisse, in diem alterum, in missa sumendæ, asseruentur.

Dec. 12. De licentia alibi, quàm in Parochia, cõmunicandi.

Cap. omnis de pœnit. & remiss.

Trid. cap. 4. & cap. 13. de reform. sess. 24.

NVlli Parochorum liceat, Parochianis suis, vt in aliena Parochia Paschæ tempore communicent, facultatem tribuere; Sed in Ciuitate Sancti Germani, hoc ad nostrum Vicarium Generalem deferatur; in Castris verò, ad Vicarium foraneum. Et quando, iusta de causa, talis facultas fuerit ab ijs concessa; Eucharistiæ sumptæ testimonium, à Parocho, in cuius Ecclesia communicarunt, scriptum illis quamprimum deferant: secùs verò, ac si non communicassent, erunt iudicandi.

Dec. 13. De necessarijs vasis, & tobaleis.

PRopter communionem verò, vel generalem Populi, vel particularem, habeantur in qualibet Matrici vel Collegiata Ecclesia omnia ea, quæ ad illam cum decore ministrandam sunt necessaria; videlicet mappæ, siue tobaleæ aliquæ oblongæ, quæ superponantur scabellis, circum circa altare positis; neque enim ferendum est, vt dum communio fit, siue generalis, siue particularis, quilibet ad altare possit accedere, & fiat tumultus, vt etiam multoties scandala generari soleãt, & præsertim periculum Sacerdotibus, ne excidat, in illius administratione. Habeantur item vasa aliqua vitrea, siue chrystallina, propter purificationem Populi; neque enim fas est, vt Laici in calice illam sumãt. Præterea Clericus porrigens

rigens purificationem, habeat in alia manu sudariolum aliquod, ad abstergendum os eorum, qui purificantur, ad quod nullo modo vela, panniculiq. calicum adhibeantur.

Dec. 14. De recta sumẽtium Fide. Et Dei erga nos charitate.

Cap. qui scelerati de cõsec. dist. 2. c. omnis vtriusq, sexus de pœniten. & remiss. Trid. cap. 7. & can. 11. sess. 13.

MAximè verò inter omnia instruendus est populus, vt recta fide accedat; Qui enim Christus Dominus illud suum esse Corpus, quod pro nobis tradendum erat, dixit; ille idem dignè suscipientibus vitam æternam promisit: Iubens, vt hoc faciamus in suam commemorationem. Quod optimè fecerimus, dum nobiscum recogitauerimus, quemadmodum Vnigenitus Filius Dei ob reconciliandũ Deo ipsi, perditum hominem, & ad delendũ, quod contra nos scriptum erat, chirographum, se ipsũ humiliauerit, factus obediens vsque ad mortem Crucis. In quo maxima erga nos Dei charitas commendatur, qui vnico suo Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus, de Sathanæ vinculis redimendis, tradidit illum.

Dec. 15. De præparatione necessario præmittenda.

HInc ergo cognoscet Christianus populus, quàm graue crimen sit, ad tanti Sacramẽti participationem indignè accedere, cum Apostolus dicat; *Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini*. Non sint ergo inter nos infirmi, & imbecilles, nec dormiant vlli; sed dijudicemus Corpus Domini, ne iudicium nobis manducemus, & bibamus; Nos ipsos etiam dijudicemus, vt non cũ Infidelibus Mundi damnemur. Ex quo multò magis intelligent Sacerdotes ipsi, qui lucernæ debẽt esse, & populis prælucere, qualem in ipsis requirat Deus puritatem, in tam tremendo sacrificio pertractando.

Ad

AD extremum, post sumptionem sanctissimæ Eucharistiæ, Populum hortetur, ita debere illum sacra illa mysteria venerari, vt Christi redemptionis fructum iugiter sentiat. Et cum hoc sit maximè Sacramentum dilectionis Dei, & proximi; sæpiùs erit inculcandum, esse sub speciebus panis, & vini institutum, vt præter veritatem Corporis, & Sanguinis, quæ in eo continetur, ac verè recipitur; quoddam etiam eximium mutuæ dilectionis, & charitatis signum fore. Vnus enim panis, & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane, & de vno calice participamus. Panis enim ex multis granis conficitur, vinum verò ex multis confluit racemis. Monendi itaque sunt, vt deposita omni simultate, diligant alterutrum, vt vnius Corporis Christi digna membra effici mereantur.

Dec. 16. Maximè hoc Sacramentum veneramur, si diligamus inuicem.

Trid. c. 1. & 3. sess. 13. & can. 1 ibidem. & c. 1. 2. & 3. sess. 21.

c. charitas est de pœnit. d. 2.

Augustin. in tract. de laudibus charitatis tom. 9.

De Pœnitentia. *Cap. V.*

TAlis ergo paratur nobis mensa à Domino, talis cibus, in cuius fortitudine vsque ad mõtem Dei possimus ambulare, & robur sumere aduersus Tartareos hostes, qui nos continuò cõtribulare nõ cessant. Ille enim panis Angelorũ, factus est viatorũ cibus, & fortitudo, quo in hac vita consolidati, ad immaculati Agni nuptias, tandem in regnum Cælorum perueniemus. Ergo pœnitentiam agamus, appropinquauit enim regnum Cælorum. Viam Domino, qui ex alto per viscera misericordiæ suæ nos visitat, paremus. Hæc enim quandiù in deserto huius vitæ, spinas, & tribulos germinante, commoramur; vox, continuò in aures nostras clamat. *Parate viam Domini, rectas*

c. agite pœnitentiam, de pœnit. dist. 1.

Ezech. 18.

Luc. cap. 13.

facite semitas Dei nostri. Quid enim aliud sunt peccata, quibus impœnitens iacet inuolutus, quā spinæ, diuini verbi semen suffocantes, & aduentui Christi in animam nostram impedimentum præbentes? Ipsa inter nos, & ipsum diuiserunt. Hi montes sunt superbiæ, & colles intumescentium illecebrarum, vsque ad terram humiliandi, vt spiritualium gratiarum pluuijs, animarum nostrarum valles compleantur. Sic docet sanctissimus ille Christi Domini Imperatoris Signifer, & Præcursor, ab ira ventura fugere genimina viperarum; Tunc enim inextinguibilem ignem, qui ira Dei est ventura, nos viperarum genimina, id est, peccatorum veneno infecti, fugiemus; cum pœnitentiæ sumpto antidoto, peccatorum venenum euomemus pestilentissimum; Et tunc paratam pro peccatis nostris à iustissimo Iudice sententiam effugiemus. *Currat*, inquit, Chrysologus, *pœnitentia, ne præcurrat iusti Iudicis sententia; Ne iudicemur, iudices nostri simus. Demus nobis pœnitentiam, vt possimus à nobis auferre sententiam; Deducamus quasi torrentem lacrymas, & non taceat pupilla oculi nostri*. Hic enim est baptismus pœnitentiæ, quem prædicauit Ioānes, hæ sunt aquæ, in quibus Deus peccata nostra destruens, sæuissimos contribulauit dracones.

Greg. in hom. 20. in Euang.

Chrysol. serm. 167.

can. Petrus doluit, & can. lacrymæ de pœnit. dist. 1.

Sed fontem hunc lacrymarum, nisi ab vberrimis illis Christi Domini in Cruce perforati pectoris fluentis, nunquam possumus exhaurire: Fortem siquidem ipse se in Cruce constituit: cornua enim in manibus eius, vbi abscōdita est fortitudo eius; Sed si immiserimus in fortem istum iacula dilectionis, iacula doloris peccatorum, continuò in nos fluet sanguis, & aqua, quibus stola animarum no-

nostrarũ abluta, vbi priùs erat vt coccinus, quasi nix alba fiet. Iaculemur ergo suspirijs, eiulatibus, gemitibus, peccata nostra ingemiscentes, in hunc fortem viuum in Cruce pendẽtem; & statim ipsum habebimus, ipsius corde percusso, fontem viuum.

A diebus Ioannis Baptistæ vim patitur regnũm Cælorum; Ille enim est, qui primus apertè illud prædicauit, & arma militibus tradidit, quibus posset expugnari. Appropinquat ergo regnum Cælorum, & violenti rapiunt illud; cum verò arma, quibus expugnari potest, & capi, sint pœnitentia, & dolor peccatorum; ipsorum agamus pœnitentiam delictorum. *Vim enim*, inquit Ambrosius, *inferimus Domino, non compellendo, sed flendo, non prouocando iniurijs, sed lacrymis exorando. Aggredimur in itinere Dominum, & more latronum, suo illum regno nitimur expoliare; sed ille tam diues, & largus est, vt non resistat, & cum omnia dat, omnia possidet. Nec alijs profectò armis, quàm pœnitentiæ telis, quibus (si fas est ita loqui) Christus ipse victus, regnum libentissimè tradit victori. En vox ipsius continuò pulsantis, & ipsa iacula à nobis efflagitantis, Aperi mihi soror mea sponsa.* Stillent ergo operationum nostrarũ manus, pœnitentiæ myrrham probatissimam, & vbi priùs pessulum animæ nostræ induxeramus, quando per carnis voluptates cælesti sponso aditum in cor nostrum occluseramus; Nunc pessulũ ipsum remoueamus, vt carnalibus illecebris depulsis, cor ipsi, vt ingrediatur, per mandatorum ipsius obseruantiam, aperiamus. Neque enim in alio corrigit adolescentior viam suam, quàm in custodiendis mandatis Dei. Nec cõfundamur,

Matth. 11.

Ambr. ser. 15. can. lacrymæ dist. cad.

Psalm. 118.

aut mirum videatur nobis, si statim illum non inuenerimus; Ipse enim dilectissimus sponsus, vt intensioribus illum lacrymis inquiramus, & à sua nunquam laude cessemus; nonnunquam abscondit se, vt de templo animarum nostrarum videatur exire; ne scilicet nobis confidamus, quando labore nostro apprehendere eum putamus. Nam qui priùs audieramus, dixi, *Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino*, & ipse remisit impietatem peccati nostri; eundem tamen quandoque transire videmus, ac declinare, ne de plena eius apprehensione superbiamus. Fingit enim multoties se longiùs ire, vt rogetur intensiùs, studiosiùs inquiratur, diligentiùs conseruetur. Quod per pęnitentiam præstatur; Dum iuramus, & iudicia iustitiæ suæ statuimus custodire, & dum cũ sancto illo Patriarcha Ioseph dicimus, Ecce tradit nobis Deus omnia, præter animam, quam sibi in charitate desponsauit, quam vult vt immaculatam custodiamus; quomodo ergo poterimus peccare in Dominum nostrum? Si autem peccauimus, non tardemus ad ipsum per pęnitentiam conuerti; Ipse enim benignus est, & diues in misericordia, & præstabilis super hominum malitia. Ipsius proprium est misereri semper, & parcere, cuius summa gloria in eo posita videtur, vt pœnitentiam agenti peccatori ita statim condonet, vt omnium iniquitatum eius ampliùs non recordetur. Gratias maximas agamus illi, propter hanc magnã ipsius gloriã. Non differamus tamen de die in diem; subitò enim veniet ira illius. *Agenda est*, inquit Ambrosius, *pœnitentia sollicitè, & maturè, ne fortè Euangelicus ille Pater familias, qui plantauit arborem in vinea sua, & quærens*

c. magna pietas Dei, & c. dixi cõfitebor de pœnit. dist. 1

Gen. c. 39. B.

c. libenter, & cap. multiplex misericordia Dei, de pœnit. dist. 1.

c. dixi, de pœnit. dist. 1. Eccl. 5.

Ambr. de pœnit. lib. 2. c. 1.

rens

rens fructum in ea, si non inuenerit, dicat cultori vineæ, succide eam, ne terram inutiliter occupet. Luc. 13.
Surgamus itaque velociter, sic enim Angelo Domini comitante nos; peccatorum de manibus nostris cadent cathenæ, & mundanarum difficultatum portæ ferreæ, per diuinam gratiam vltrò nobis patefient; vt ad Ciuitatem sanctam Hierusalem perducamur, & tanquam lapides prętiosi in illius muris superædificemur. Meminerimus tamen, illuc non introduci, nisi meritorum virtute eos, qui ob Christi nomen hic in mundo prǫmuntur. Ergo pœnitentiæ tunsionibus, & pressuris animarum nostrarum, lapides hic fiant expoliti; audiatur hic in terra malleorum sonitus, ferramẽtorumq; strepitus; sonent nempè pœnitentiæ gemitus, iustitiæ, temperantiæ, & virtutum omniũ, nos ad cæleste ædificium aptantes, perstrepant ictus; in cælestis enim Hierosolymę templo, malleus, & securis, & omne ferramentum non audietur; vbi non erit ampliùs neque luctus, neque clamor; obliuioni enim tradentur angustiæ priores, & ab oculis nostris abscondentur, & exultabit Deus in nobis; dum in nobis ipsis exaltabitur. Gaudium namq; coram ipso est Angelis eius, super peccatoribus pœnitentiam agentibus. Sic ergo in hac vita per pœnitẽtiam effecti lapides perfectè dolati per manus cælestis artificis, suis in suprema Hierusalem, in illa pacis visione, coaptabimur locis, & sacris illis, ac sempiternis ędificijs disponemur, cum gaudio in æternum permansuri. Luc. 15. 8.

Dec. 1. Per Sacramentum pœnitentiæ ad Deum conuertimur, & ab eius ira fugimus.

QVia ergo in pęnitentiæ Sacramẽto rectè administrando, maturitate multa, ac diligentia opus est; Ideo præter ea quæ in alia Casinensi Synodo sunt circa hoc Sacramentũ

c. pœnitentia, & can. ille de pœnit. dist. 3.

sancita, quæ iterum rigorosiùs obseruanda distri-ctè præcipimus, infrascripta etiam sub grauissimis pœnis obseruari mandamus, vt sæpè Parochus dum festiuis diebus cōcionem habet ad Populum, explicet, præcipuum huius Sacramēti actum esse conuersionem hominum ad Deum; Quæ tunc fit, ac peragitur, cum commissa peccata, graui cum animi dolore detestamur, & odio habemus, propter Deum: cum voto, ac proposito de cætero non peccandi, sed vitam in melius cōmutandi. Vnde ab hoc actu videmus Ioannem Christi Præcursorem, & Petrum Apostolorum Principem, euangelicæ doctrinæ prędicationem fuisse auspicatos. Hac igitur fugimus ab ira Dei, hac conuertimur ab operibus mortuis ad Deum viuentem, hac subducimur à diaboli laqueis, & Christo, vt viuentia membra concorporamur.

Trid. cap. 4. sess. 14. & ses. 6 cap. 5. & c. 14.

Matth. 3.

Actor. 2.

Heb. 6.

Dec. 2. Ex concepto timore nō esse diffidendum.

ET quia tunc rectè Populo pœnitentia prædicatur, cùm per verbum Dei scelera, & flagitia arguuntur; Ideò incutiendus est Populo timor iræ, indignationis, & iusti iudicij Dei; cùm propter scelera, hæreditatem in regno Christi, & Dei amittamus; Tum verò ne propter ista, filij fiant diffidentiæ; cum Samaritano infundēdum est vinum, & oleum; vt ex animo, vereq. territis, ac conuersis promittatur gratia, ac misericordia. Deus enim sanat omnes contritos corde, & alligat omnes contritiones eorum. Qua doctrina piè explicata, commodè Populum docebunt, mundo mori, & Christo viuere.

Ephes. 5.

Psalm. 46.

Dec. 3. Lapsis necessariū Sacramentum pœnitentiæ, non secùs, ac Baptismus genitis.

NEgligentiam verò populi, ad huius Sacramenti vsum, his temporibus summis lachrymis deplorantes (cùm videamus multos toto anno peccatorum maculis, & cœno velle fœdari, quàm

quàm pœnitentiæ lauacro à sordibus repurgari) ordinamus; vt cōtinuò inter Missarum solemnia, motiua ad Sacramenti pœnitentiæ vsum populo proponantur, & inculcentur. Quòd scilicet necessitas ad illum vrgeat, cùm æquè nondum regeneratis baptismus proponatur à Spiritu sācto, ac Sacramentū pęnitentiæ in peccatum post baptismum lapsis; Si enim de baptismo dicitur, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnū Dei*: De hoc etiam Sacramento dicitur; *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis*. Quanta ergo diligentia procuratur baptismus infantis; tāta à criminosis Sacramenti pœnitētiæ vsus amplectendus est: maximè cùm ad illum summa Dei impellat benignitas: dicente Paulo; *An diuitias bonitatis eius, & longanimitatis contemnis, ignorans quòd Dei benignitàs ad pœnitentiam te adducit?* Ioan. 3. Luc. 13. Rom. 2.

Dec. 4. Bona Pœnitentium.

DOceat deinde, quot bona peccatori, per pœnitentiam conuerso, obueniunt: Nam pręter peccatorum remissionem, & acquisitionem gratiæ Dei, quæ vtilitas est incomparabilis: patefit aditus in regnum Cęlorum; Quæcunque enim à Sacerdote soluuntur super Terram, hæc soluūtur, & in Cælis: Animæ datur sanitas, quia per Christi liuorem sanati sumus: Conscientiæ item trāquillitas ex spe veniæ consecutæ: Meritorum per læthale peccatū mortificatorū reuiuiscentia; iuxta illud Ezechielis; *Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua*; Roboratio item spiritus aduersus carnis, & mūdi illecebras, & diaboli tentationes: nemo enim est, qui si debitè Sacramentum pœnitentiæ vsurpet, non sentiat solitò se animosiorem ad resistendum Trid. sess. 14. cap. 1. 2. & 3. Matth. 18. Ezech. 33.

peccato, & tenendum iter salutis, vim conferente gratia Sacramentali.

Dec. 5. Nec pudore culpæ, nec pœnæ horrore debere omitti pœnitentiam.

QVod si quem timidum à tali vsu detractum Sacerdos videat illum paterna charitate admoneat, & confirmet; primò non ex peccatorum cōmissorum pudore illum à tam salutari remedio esse retardandum: confessio enim Deo fit, cognoscenti omnia, & Confessario, vicem Dei tenenti, ad secretum sic adstricto, vt neque illi de auditis peccatis permittatur, nisi propter ipsius salutem, cogitare; secundò, nec propter pœnitentiæ agendæ horrorē retrahi debere, considerādo quales fuerint Christi pro peccatis nostris cruciatus, nec propter metum infamiæ; cum talis non incurratur; & etiam si incurreretur, euitatur tamen perpetua illa, & æterna infamia damnatorum.

Cap. Verbum Dei de pœnit. dist. 1.

Trid. sess. 14. cap. 5. & 6.

Dec. 6. Nec ob restitutiones, nec ob suspectas reincidentias, debere pœnitētes retrahi, nec ob quduis aliud.

CVm verò sciamus eò potissimùm diaboli insultus collimare, vt postquam aliquem ad aliena surripienda induxerit, ad restituēda tamen valde retardet, varias restituendi ablata difficultates pœnitenti ob oculos inijciendo; hortamur Confessarium, tanto malo curet obuiare; Bonorum æternorum iacturā proponendo, cum reatu æternorum suppliciorum. *Quid* enim *prodest homini, si vniuersum Mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Quo eodem modo prudenter se gerat, cùm peccatorum laqueis quibusdam, videt pœnitentem irretitum, à quibus solent peccatores difficilè extricari; vt putet se adeò carnis illecebris esse inuolutum, vt non facilè existimet se posse dissolui; obuiabit Sacerdos humili confidentia in diuinæ gratiæ auxilio, quæ ipso Sacramenti pœnitentiæ vsu acquiritur, atque in

Matth. 16.

in gloriosæ Virginis præsidio, Angeli custodis, & Sanctorum patrocinio. Denique ad superandas omnes difficultates, ostendat, quomodo oporteat per multas tribulationes intrare in regnum Cęlorum; Neque enim nisi legitimè certanti corona est præparata; Aliter enim difficultates has minimas vitæ huius recusantibus, & pruinam timẽtibus, mala imminent grauiora, & irruet super illos nix, grando, ac spiritus procellarum. Act. 14.

IN Confessione ipsa audienda, docebit confitentem seruare conditiones ad illam requisitas; præsertim ne aliquis perplexis sermonibus se remoretur; & vt ita peccata sua cõfiteatur, vt clarè intelligantur; aduertendo vt non alijs illa imputet, sed sibi soli; nec illa vestiat verborum lenocinijs, quibus minùs grauitas illorum, ac turpitudo posit apprehendi; vt item honestè præsertim à pueris, & puellis explicentur, præcipuè peccata carnalia. Ad integritatem confessionis seruandam sæpius timidos impellant; docentes, Confessionem non integram, esse potiùs confusionem, & fictam confessionis simulationem. Inducat etiam pœnitentem ad acceptandam impositam sibi pœnitentiam. Et si quando quis accesserit animo nullam satisfactionem faciendi in hac vita, nullo pacto absoluatur, nisi diligentissimè examinetur, quare hoc velit facere; cùm valde difficilè possit contingere, vt aliquis nullam velit pœnitentiam acceptare, sine iniuria Sacramenti, volendo illud mutilum, absque vna principali parte consistere.

Dec. 9. De integritate, & sinceritate Confessionis.

Cap. sunt plures de pœnit. dist. 3. Trid. sess. 14. cap. 5.

Idem ead. sess. cap. 8. & 9.

Matth. 3.

Luc. 3.

Chrysost. Ser. de pœnitentia.

Timoth. 1.

Regin. de Off. pœnit. cap. 11.

STudeat continuò Confessarius, ijs libellis, qui illum habiliorem reddant ad instruendos pœnitentes, præsertim ad examen conscientiæ perfectè

Dec. 8. De interrogationibus ritè faciendis; Et cõgruis remedijs adhibẽdis

Trid. sess. 14. cap. 5. de confessione.

fectè peragendum; & sciat interrogare, discurrendo, non solùm per omnia, & singula præcepta, sed etiam peculiariter circa vniuscuiusq; propriũ statũ. Vt item sciat remedia iuxta morbi rationẽ adhibere, pusillanimes erigendo per immensam Dei misericordiam, præfractos, & impudentes obiurgando, tremendumq; Dei iudicium ob oculos ponendo; Denique vti prudens Medicus pro morbi qualitate tẽperabit medicinam; monendo eos, qui confitentur, singulos secundum ordinem, propriumq; statum, propriamq; ætatem, atque conditionem. Et quia plerunque solent quidam nimis scrupulis vexari, quibus in via Domini non parum retardantur; præ manibus habeat Confessarius remedia, quæ à pijs, doctisq; Viris pro talibus sunt præparata.

Trid.

Gers. tract. de rem. con. pusil.

Cordub. in quæstio. lib. 1. quæst. 14.

Dec. 9. De Parochi Socio adsciscẽdo. Et peccatorum radicibus extirpãdis

CVm aderit frequens populi cõcursus ad confessiones, vt proprius Parochus diffidat se posse omnibus satisfacere, Coadiutorem laborum aliquem eligat Sacerdotem, à nobis absolutè ad audiendas confessiones approbatum; non eum, qui ad tempus tantùm, vel qui pro certis personis approbatus erat. Qui omnes aduertant, grauium peccatorum occasiones esse præcidẽdas; Nam nisi peccatorũ fuerint penitus radices auulsæ, surculi iterũ pullulãt, & assurgunt in palmites. Vnde qui multoties in varijs confessionibus eadem peccata, per easdem occasiones commisisse inueniuntur, non sunt absoluendi; nisi omnibus remotis peccandi causis, & occasionibus.

Dec. 10. De circũstantijs necessariò exprimendis.

SEdulò item aduertimus omnes Confessarios, quòd quàmuis illæ solùm circunstantiæ dicãtur necessariò in confessione exprimendæ, quæ mutant de veniali in mortale, vel addunt nouam

pec-

peccati mortalis malitiam, vt expresse definit Tridentinum; circunstantiā item peccatum diminuentem in infinitum, vt facientem veniale, quod alioqui esset mortale; Sunt tamen alij casus, in quibus aliæ circūstantiæ mortalis intra eandem speciem sunt necessariò exprimendæ; vt quando illis non expressis Confessarius de statu pœnitentis non informaretur sufficienter, vel quia tegeretur reseruatio, ob quam recurrēdum esset ad Superiorem; aut satisfactio salutaris imponi non posset; nec præscribi remedium salubre, aduersus relabendi periculum; nec damnorum illatorum debita iniungi reparatio.

Sess. 14. cap. 5. Nau. in Ench. cap. 6. num. 6. Cap. cōsideret de pœn. dist. 5. Regin. de Off. pœniten.

PRouidi item sint Confessarij, dùm ad ipsos accedit aliquis ex ijs, qui suæ curæ non sunt cōmissi; vel dum confessiones audiunt eorū, qui facilè, & sæpiùs confessarium solent mutare: cùm illi se malitiosè subtrahant à proprij Sacerdotis, & ordinarij cura; isti verò cùm hoc faciāt propter frequentem in eadem grauia delicta incidentiam; tunc enim difficilè iudicandi sunt absolutionis capaces, cùm facilè hoc contingat, ad verecundiam euitandam cum dolo. Quando autem ex aliqua vrgenti causa hoc fiat, beneficiū absolutionis minimè est denegādum. In quo diligenter aduertant, an pœnitētes impositæ ab alijs confessarijs satisfactioni fecerint satis, & an peccatorum funes, iuxta alteriùs Confessarij præscriptum, præciderint.

Dec. 11. De dolosa Cō. fessarij mutatione, & de satisfactione neglecta.

VOlumus preterea Decretum alteriùs Synodi districtè, & sub grauissimis pœnis obseruari; vt non audiātur confessiones in angulis Ecclesiarum, sed in confessionarijs; & præsertim dū mulierum audiuntur confessiones, non fiat os ad os,

Dec. 12. De Cōfessionalibus, & cōfessarij honestate.

sed

ſed facie auerſa, modeſtè, & honeſtè, aure poſita ſuper crate, vnde pœnitẽtis verba poſsint excipi. Et quamuis in Domino confidamus, tàm enorme ſcelus, & infame delictum omninò à confeſſarijs noſtræ Diœceſis abſuturum, nec inter illos nominandum, vt ad turpia quis in confeſsione pœnitẽtem aliquem ſollicitet; non deſiſtimus tamen in Domino hortari confeſſarios, vt pernitioſiſsimi huius, & infamis patrati ſceleris grauitatẽ, intra ſe penſent; vt dum animas Chriſto debent lucrifacere, ſe tamen cũ illis modo tam enormi cõiungentes vna ſimul, ad tartara demergant: Quos profectò iudicamus Sathanicos homines, & cõtra eos ſciant ex Summorum Pontificum bullis grauiſsimè per Sãctæ Inquiſitionis Iudices agendum.

Ex bul. Pij IV. Sicut nuper anno 1561.

Dec. 13. De peccatorũ excuſationib. & indecentijs Confitentis.

ET quia ad hoc Sacramentum accedentes, maxima debent præcipuè humilitate eſſe inſtructi, non ſolùm interiùs, tàm intellectu, quàm effectu ſibi ipſis peccata imputando, non autem Deo, vt non adiuuanti, vel Diabolo inſtiganti, & impugnanti, vel homini incitanti, aut conſtellationi inclinãti; verùm etiam exteriùs, tàm quoad verba, & modos loquendi, vt non narrent cum iactantia, quàm quoad corporis compoſitionem, vt tãquam reus petat peccatorum cõdonationem: Ideò præcipimus Confeſſarijs, vt in his prudentius incumbant. Præſertim verò mulierum confeſsionibus inſiſtant, quæ nimis fucatæ, & calamiſtratæ, accedunt, quod Chriſtianam non bene redolet humilitatem, eas nimiùm corripiendo.

Pſal. 144.

Dec. 14. De præcipuis muneribus Cõfeſſarij.

SVper omnia autem, qui à confeſsionibus ſunt, diligentes ſe præſtent, dùm ad alicuis ægroti confeſsionem audiendam aduocantur; cum quo ſtatim ſedula cura de pertinẽtibus ad Animæ ſalu-

lu-

lutem tractent (& si non fuerit proprius ægroti confessarius) statimq; illum admoneant; quē etiā morbo ingrauescente sæpius inuisant, & patientiam in toleranda ægritudine doceant; illum Sanctorum exemplis leuent, & confirment, & ad mortem hilari animo subeundam, si Deo placuerit, adhortentur.

Dec. 15. De Medicis confessionem non suadentibus; Deq; Medicis Iudæis nō aduocādis

NEc desistat Confessarius Medicos sępiùs admonere, quàm seuerè fel. record. Pius V. contra ipsos animaduertat, si ausi fuerint tertio die vlteriùs ægrotum visitare, nisi priùs animæ fuerit Medicus aduocatus; præsertim cum corporalis nonnunquam infirmitas ex peccato proueniat, cum dixerit Dominus languido, quem sanauerat; *Vade, & noli amplius peccare, ne deteriùs tibi aliquid contingat.* Qui ergo Medici hoc facere contempserint, præter alias pœnas in dictis Constitutionibus contentas, nouerint se arbitrio nostro pęnis (etiam pecuniarijs) esse mulctandos, iuxta eiusdem Pij V. Constitutionem. Quod ipsū vt à domesticis infirmi fiat, sæpiùs admoneat, doceatq. non esse remedia nisi à Medicis fidelibus quærenda. Quocirca si quando contingeret, aliquem vel Iudęum, vel quomodolibet infidelem medicum, per has regiones nostras transire, ab illis omninò remedia non petantur.

Pius V. in bul. Mar. 1566. quæ incip. Super greg.

cap. cū infirmitas de pœnit. & remiss.

Concil. Later. sub Innoc. III. cap. 22.

Greg. XIII. in bull. quæ incipit. Alias. Apr. 1581.

Dec. 16. De Confessario confessionē frustra prorogante.

QVod si ex aliqua legitima causa iudicauerit Confessarius confessionem ægroti in alium diem esse differendam, testimoniū de hoc medico faciat, vt à corporali medicina non desistat. Tamen confessionis tempus non frustra, aut leui de causa prorogent, quod si secus fecerint, eo ipso ab audiendis confessionibus sint suspensi, cum ad animarum perniciem,

po-

potestate sibi tradita abutantur.

Dec. 17. De Confessariorũ oscitantia excitãda.

CVm autem experientia doceat, propter Cõfessariorum oscitantiam in confessionibus audiendis, multoties peccandi dari facilitatem; monemus Confessarios in Domino, vt quàm maximè poterunt, in audiendis confessionibus diligentiam adhibeant; Concubinarios, aliosq. carnis operibus deditos repellant, nisi re ipsa peccãdi occasionem abiecerint; Feneratores, quæstusq. iniquos exercentes, ac ære alieno obstrictos, sub spe futuræ restitutionis semel absolutos, ne iterum absoluant; nisi priùs satisfecerint, modò facultatem habeant restituendi. In quo examinando sint Confessarij diligentiores, nec quauis leui de causa impotentiam restituendi ablata iudicent; Quod iddem intelligatur de ijs, qui alteriùs famam, honorem, æstimationem, aliaq. huiusmodi læserint.

Iacob. à Graf. lib. 1. decis. aurear. p. 1. de præparat. ad confessionem, cap. 24.

Dec. 18. De obligatione confitẽdi in casibus præter tempus Paschale.

SÆpiùs à Parocho admoneatur Populus, præter statutum tempus confitendi semel in anno, vel in infirmitate, iuxta Pij V. Cõstitutionem, & nostram sanctionem superiùs explicatam; non deesse alios casus, in quibus sub mortalis peccati culpa tenentur Christi fideles Sacramentali confessione se præmunire; Quales sunt omnes illæ actiones, in quibus probabiliter mortis periculum est pertimescendum; sicut est in eo, qui ad bellum est profecturus, vel iter infestum, nauigationemq. periculosam suscepturus, si secum non habeant confessarium; Tunc enim, antequam prædicta aggrediantur, Sacramentali confessione debent præmuniri; Quod idem intelligitur de mulieribus proximè parituris. Quibus omnibus religiosè est persuadendum, vt etiam sacra se, in-

c. oĩs vt. sexus de pœniten. & remiss.

optimus tex. in cap. cum infirmitas sup. eod. tit.

Act. Ecc. Med. p. 1. tit. de pec. remiss. cap. 65.

simi-

similibus casibus, reficiant communione.

NOn permittatur Confessarijs sub quouis prętextu, vel colore, dum confessiones audiũt loculum in Confessionali, vel propè illud suspensum, vel apud se habere, per quod oblationis alicuius suscipiendæ signum detur. Et dum audiunt confessiones, semper sedẽtes maneãt (ad modum Iudicis) pro tribunali, cum superpelliceo, & stola; Nec excipiant confessiones quorumuis, etiam Sacerdotum, & in quauis dignitate, etiam Ecclesiastica constitutorum, stantes, vel genuflexi; licet nollent prædicti, nisi breuem aliquam peccati venialis reconciliationem exponere. Et dum absolutionis formam proferunt, laudabilem illum, & antiquum in Ecclesia seruent vsum, vt manum dexteram super caput pœnitentis extendant.

Dec. 19. De quæstu vitando. Cõfessu Cõfessarij, & manus superextensione obseruanda.

Cap. cum ab omni. de vita & honest. clericor.

Act. Ecc. Med. part. 1. tit. de pœnit. cap. 56. & 58.

DVm Regulares ad audiẽdas Secularium confessiones, à nobis, vel à nostro Vicario Generali, pręuio examine, per examinatores nostros Synodales, erunt approbati, admoneantur; ne sub prætextu quarumcunque facultatum, & Priuilegiorum se ingerant in casibus reseruatis; Non solùm in Bulla Cœnæ Domini; sed etiam violationis immunitatis Ecclesiasticæ, in terminis Constitutionis fel. rec. Gregorij XIV. Violationis clausuræ Monialium ad finem malum, procurantium. Et pugnantium in duello, iuxta Decretum Sacr. Conc. Trid. & Constitutionem Gregorij PP. XIII. Inijcientium violentas manus in Clericos, iuxta Canones, & Iuris dispositionem; Simoniæ realis, scienter contractæ; Et confidentiæ beneficialis; Necnon in casibus nobis reseruatis, etiã vrgente aliqua necessitate, vel impedimento, nisi in mortis articulo, vel quãdo expressè fuerit illis à Sede

Dec. 20. Absoluentium pœnæ à reseruatis.

Dec. Sac. Cõg. sub dat. Romæ 9. Ianuar. 1601. Et decl. eiusd. ibid. die 26. Nou. 1602.

Vide Quar. in Compend. bull. ver. cas. reser.

Apostolica, vel à nobis indultum, iuxta decretũ, & declarationẽ Sacrę Congregationis; Sub pęnis, quoad Confessarios, excommunicationis, priuationis officiorum, ac dignitatum, & inhabilitatis ad ea in posterum obtinenda. A quibus nullo pacto dispẽsari, habilitari, vel absolui possint, nisi à Sede Apostolica (prӕterquã in mortis articulo) à qua dictӕ pœnӕ Confessarijs imponuntur.

Dec. 21. De Cõfessarijs districtè approbandis.

CVm autem animarum curãdarum ratio, corporali medicina, & subiecto, & facultate scientiӕ, & fine longè prӕstantior, longèq; sit difficilior; & tàm diligenti examine approbantur, qui curandis corporibus prӕficiuntur; multò magis oculatiùs vita, scientia, ac prudentia medicorum spiritualium erit inspicienda. Quare prӕcipimus nostro Vicario Generali, vt non facilè Sacerdotes ad audiendas confessiones admittat; sed curam adhibeat accuratam, vt tàm Seculares, quàm Regulares exactissimè de vita, moribus, & doctrina examinentur, & approbentur; ne vel cęco cęcum ducente, ambo in foueam cadant, si scientia desit, nèue mũdanda lepra gliscat potiùs, si is qui purgaturus aduenerat contagio sit obnoxius deteriori. Quare prӕcipimus, vt nonnisi in classe examinatorum Synodalium, huiusmodi approbatio fiat; & prӕsertim qui confessionibus mulierum sunt exponendi, hi sint ӕtate maturiores; cęterisq; prępolleant requisitis.

Clem. dudum, §. deinde. de sepultur.

Dec. 22. De casibus reseruatis.

Quarant. ver. cas. reseru.

LIcet verò noscamus, reseruationem facultatis absoluendi à quibusdã enormioribus delictis, valdè prudentem debere esse, & moderatam, ne inferiores dũ suis Superioribus detegere, grauiores illas maculas reformidant, in periculum ӕternӕ damnationis inducantur; tamen etiam com-

compertum est, & ad Christiani populi disciplinã tuendam, & ad grauiora delicta perpetrandi licẽtiam cohibendam, non solùm licere ordinarijs, sed etiam esse necessarium, atrociorum quorundam facinorũ absolutionẽ sibi reseruare. Consideratis ergò diligenter, ac maturè perspectis Diœcesis nostræ statu, qualitate, ac populi moribus, & natura, sequentes casus duximus nobis reseruãdos, prout præsenti decreto reseruamus.

1. *Peccatum Blasphemiæ contra Deum, & Beatam Virginem.*
2. *Maleficium, Diuinatio, vel Incantatio, cum inuocatione Dæmonis tacitè, vel expressè.*
3. *Homicidium voluntarium.*
4. *Iuramentum falsum in iudicio factum, in præiudicium tertiæ personæ.*
5. *Procuratio abortus post animatum fœtum, etiã effectu non secuto.*
6. *Raptus mulierum, & stuprũ Virginis per vim.*
7. *Incestus in primo, & in secundo gradu consanguinitatis, & affinitatis.*

Dec. 23. De his qui his casibus non ligantur, &c.

PRo his porrò casibus reseruatis cauendum est: I. In ijs non intelligi inclusos impuberes, qui nõdũ decimũquartũ annũ egerũt; sed eos solùm, qui iam quintũdecimum attigerunt; neque item fœminas, quoad peccata carnalia. II. Sacerdotes ad audiendas confessiones approbatos, qui nulla habita licentia, se in absolutione à reseruatis ingesserint; sint ipso facto ab audiendis confessionibus suspensi. III. Quia multoties dubia aliqua circà prædictorum casuum intelligentiam possunt oriri; illorum solutionem, ac declarationem nobis, nostro Vicario Generali, ac maiori Pœnitentiario reseruamus. Ad quem gradum R.D. Felicẽ

de Ianuario Sacræ Theologiæ Magistrum, ac n
stræ Curiæ Theologum, cum ampla potestate
forma in interiori foro, sollèniter in præsenti S
nodo duximus promouendum. IV. Cautũ sit Co
fessario, vt quando quemquam à prædictorum
casuum aliquo deprehenderit irretitum, tutic
via vtatur; vt priùs illum ad Superiorem mitta
à quo absoluatur à reseruatis; vel si hoc pœnit
valdè graue visum fuerit, ipse sua spontè cura
istam suscipiat; vt pro ipso (habita semper sigi
debita custodia) à nobis, vel nostro Vicario Gen
rali, vel maiori pœnitentiario facultatẽ recipia
& pœnitentiam ab his taxatam pœnitenti pr
scribat. V. Ne errent Confessarij, cùm illis à r
seruatis absoluendi concessa fuerit facultas, sci
non intelligi concessam fuisse illis super censur
& super ijs concessa, non intelligi concessam
super votorum commutatione; & concessa sup
omnibus prædictis, non intelligi concessam
dispensandi super irregularitate. Quam dispe
sandi facultatem in irregularitate, & absoluer
à suspensionibus, neque ipsi pœnitentiario maio
concedimus, sed nobis, & nostro Vicario Ge
rali perpetuò reseruamus.

Barthol. Vgol. de Offic. & po. test. Episc. p. 2. cap. 36. §. 6.

De Extrema Vnctione.
Cap. VI.

Adeamus ergo omnes cum fiducia ad Thro
gratiæ Dei, & confiteamur aduersum r
iniustitiam nostram illi; sic ab eo, qui diues est
misericordia, veniam consecuturi. Ipse enim c
gnouit figmentum nostrum, & recordatus, q
niam puluis, & vmbra sumus; condolensq. ijs, c
igno-

Psal. 102.

ignorant, & errant, gratiam præparauit in auxilio opportuno. Cum enim callidus hostis in periculoso huius vitæ pelago naufragantibus, pœnitentiæ tabulam iam succurrisse conspiciat, vt ex labyrintheis illis erroribus, qui ad Tartara demergunt, pœnitentia suppetias afferente, emerserimus; acrioribus insidiarum stimulis incitatur; vt quos in huius vitæ militia non potuit (diuina illis succurrente gratia) mortiferis peccatorum laqueis præfocare, tunc, cùm belli exitus instat, saltem inter sua spolia conetur malis artibus adnumerare. Ipse enim tanquam canis ad prædam paratus, in foribus vitæ nostræ accubat; vt solutam corporis vinculis animam possit deprædari, ac deuorare. Audite ergo hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem; audite simul in vnum diues, & pauper sapientiam. Quid timẽdum nobis erit in die mala? nihil aliud profectò, quàm si iniquitas calcanei vitæ nostræ nos circundet. Videns enim antiquus serpens ab ipsius mundi nascentis exordio, inimicitias inter nos, & ipsum positas esse; acriter quidem in toto decursu contra nos inuehitur; calcaneo tamen vitæ sæuiùs ferociendo insidiatur. Si ergo vngebantur athletæ, vt fortiùs cum strenuis hostibus dimicarent, & nos sacro vngamur oleo, extremo iam prælio, aduersus spiritales nequitias conflictaturi. Si enim oleo sãcto Dei vngamur; & manus præpotens ipsius nobis interiùs auxiliabitur, & brachium illius interiores animæ confortabit potentias. Nõ enim laterũ, lacertorũq. fortitudine, sed firma fide, sinceroq. in Deũ affectu est dimicãdum. *Infirmatur quis in vobis*, ait Apostolus, *inducant Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum;*

Trid. sess. 14. de Sacramen. to extremæ vnctionis in princip.

Trid. ibid. c. 1. de inst. Sacramen. extremæ vnct. c. 1.

Iac. 5.

vngentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei saluabit infirmũ; & [a] *alleuiabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei.* Hi ergò fructus, hæc sacræ vis vnctionis. Nil igitur mirum, si scelerati illi nebulones hæretici, sathanæ emissarij, prædarum diaboli conciliatores, ab ipso immissi, vt spolia opportunò explorent; cùm viderent faciliùs prædas diabolo parari, si remedia illa extremo vitæ tempore reposita, de medio tollantur; sanctum hoc, & tam necessarium Sacramentum expungere sunt conati. Iaceant tamen ipsi in sua hac frænesi hallucinati, garriant quidquid volũt impuro ore, tã enim salutare medicamentum ab ipso Christo Domino firma fide agnoscimus institutum. Cùm enim certam quãdam discipulis formam præscriberet legationis, potestatem, qua vterentur, illis tradidit; & tunc exeuntes Apostoli prædicabant, dæmonia multa eijciebant, & vngebant oleo multos ægrotos, & sanabantur. Nec tamen hoc sua ipsorum inuentione operabantur; absit enim, vt vel in mentem veniat, ipsos in tam graui legatione, præter Christi præscriptum aliquid fuisse operatos; qui non sua, sed tradita vtebantur potestate; sciẽtes quia, *non est discipulus super Magistrum.* Nec officiũ tantùm ciuile fuerat tunc illis demandatum; Neque enim Christus suos discipulos mittens, medica instruxit arte, sed creauit Apostolos; qui vngerent ægrotos oleo, non quidem medicinali, sed sacramẽtali, & mystico; eo enim qui vngebãtur, sanabãtur; virtutemq. inuisibilem, & interiorem, signo recipiebant visibili, & exteriori; cùm etiã peccata remittendi, Iacobi Apostoli supra allato verborum testimonio, virtutem haberet. Hoc ergo

[a] Trident. ibid. can. 2. de effectu huius Sacramenti.

Conc. Triden. ibid. can. 1.

Marc. 6.

ergò pretioso vnguento delibuti, animæ nostræ coram Deo post mortem constituendæ, Christi fiunt bonus odor; spiritualium enim virtutum per hoc Sacramentum operatarum, fragrantiam recipiunt. Quæ tamen hæreticis, & in æternum perituris incredulis fit in mortem. Hi enim sunt scarabæi rosarum odorem, & sues amaracum odio habentes; Non aliter enim illi oleum istud Christi sunt abhominati. Et concinnè quidem Christus, aptèq. sub visibili olei signo, fortitudinem, virtutesq. infirmis per illud traditas, Sacramentum hoc instituendo, adumbrauit; sicut enim oleum misericordiæ, & pacis est symbolum; infirmos fouet, & vulnera sanat, pabulum lumini ministrat, & omnibus supereminet liquoribus; ita per sacrum hoc oleum inuncti, Christo incorporantur, qui vera est misericordia, & pax nostra, qui nos infirmos suæ gratiæ robore fouet, vulnera peccatorum per sua vulnera curauit; signis, & miraculis lumen omnibus præbuit, omnibusq. supereminet gloria, & sanctitate. Iure ergò optimo, in mortis discrimine, qui oleo hoc inunguntur, in animabus easdem incipiunt participare conditiones; Ipsi enim tunc misericordiæ, dilectionis, fidei, sapientiæ, & tolerantiæ aduersus diaboli insultus, virtutibus emicant; instar olei, in aduersitatibus illis, & instantis mortis doloribus, supernatantes. Hac item sacra vnctione ostenditur; quonam pacto Christus, cuius nomen oleum est effusum, de cuius gratiarum plenitudine totus mundus est repletus; in tam graui necessitate, robur allaturus; se ipsum totum animæ nostræ iterũ effundit. Sacrum igitur hoc oleum, & ad labores vtile, & lucis fomentum, & hila- Theophilac. Marc. 6.

hilaritatis est effectiuum, misericordiam Dei, & gratiam sancti Spiritus, per quam à labore liberamur, significat. Cuius ritè suscepti ea est virtus, vt aduersus terriculamenta, & imminentis mortis trepidationes, pium sit solatium, ac fiducię titubantis fulcimentum. Quæ omnia tunc infirmus recipiet; cum firma fide illud suscipiet, ad alleuiationem tùm corporis, tùm animæ. Ideòque credat ad remissionem peccatorum maximè valiturum.

Trid. vbi sup. cap. 2. de effectu huius Sacramenti, & can. 2. de Sacramento extremæ vnctionis.

Dec. 1. Quod per hoc Sacramentum athletæ Christi inũgimur.

EX his ergò studeat Parochus, in periculoso illo conflictu, animum infirmi leuare, ac roborare, docendo affectum, quo ægrotus se Presbytero offert inungendum, eum esse debere, quo olim ægroti se Apostolis tradebant vngendos. Nimirùm vt intùs, atque etiã foris (si animæ bono conduxerit, & ita Deo visũ fuerit) sanetur. Vndè maximè tunc Curatus cogitare debet, se non suam, sed Apostolorum, & totius Ecclesiæ personam gerere. Et curare, vt ægrotus, non secus, ac athleta inunctus, velut in extrema lucta constitutus, omnibus sathanicis tentationibus fortiter resistat; Illumq. doceat, ad omnem tentationis impetũ, constanti animo dicere; sè Christo incorporatum, factum esse Christi membrum, & athletam, vt propterea nihil illi cum immundis spiritibus possit esse commune.

Cathec. Rom. de Sacram. extrem. vnct.

Pet. de Palud. de extr. vnct. cap. 2.

Dec. 2. De partibus vngendis, ijsq. abluendis, & forma simul proferenda.

CVm verò Sacramentum hoc ad peccatorum reliquias tollendas, & ad dandum robur, vt diaboli tentationibus possit in mortis articulo cum Dei gratia infirmus resistere, vt dictum est, sit institutum; hinc est, vt illę tantùm partes sint inungendæ, quas veluti sensuum instrumenta natura homini attribuit; vt oculi, aures, os, manus,

Nau. in man. c. 22. num. 13. & 14.

nus, renes, & pedes; Ex quibus si quæ inueniantur sordidæ, ante sacram vnctionem abluantur; mulieribus verò, & si qui fuerint viri, quibus cõmodè adhiberi non possit renum vnctio omittatur; eorum loco inuncto pectore circa cordis regionem, manuum verò vnctio Laicis interiùs, Sacerdotibus fiat exteriùs, propter sacram vnctionem, interiùs ab Episcopo receptam; mutilati verò aliquo ex dictis membris, in parte propinquiori vngantur. Dum verò vngit membra paria, nõ absoluat priùs formã, quàm vtrũq; linierit.

Sil. verb. vnct. q. 1. nu. 6. Tol. lib. 7. c. 3.

Act. Ecc. Med. p. 1. tit. de sac. vnct. cap. 25.

Tolet. ibid.

CAueat autem, ne bis ægrum in vna, eademq. infirmitate inungat; Quod si post sacram vnctionem susceptam æger conualuerit, poterit hoc Sacramentum iterari, quoties in aliud vitæ discrimen inciderit; Et dum Sacramentum hoc ministrat, curet secum alios Clericos, quotquot poterit habere, superpelliceo indutos, qui ipsum dum ministrat, pietate, ac precibus, omniq. studio, in eo ministerio adiuuent. Quod si plures habere non potest, vnum saltem omninò adhibeat Clericum sibi ministrantem.

Dec. 3. De eo iterando, & Clericorum comitatu adhibendo.

Trid. sess. 14. cap. 3. de ministr. huius Sacram.

CVret verò Parochus, vt supra mensam, iuxtà ægroti lectum, munda mappa sternatur; super quam sacri olei vasculum collocetur; quod nõ sinat Laicorum manibus contrectari. Ibique pelvicula sit, cum tot bombicinis, aut stuppæ globulis, quot ad inunctas corporis partes tergendas sint satis. Mica præterea panis ad digitorum abstersionem. Cuius, cum prædictis globulis ad Ecclesiam secum allatæ, & igni traditæ, cineres in sacrarium immittat.

Dec. 4. De bombicinis præparandis, eorũq. cineribus sacrario detrudendis.

cap. sacratas, cap. non exp. tet, & can. nõ liceat, dist. 23

Syn. Florent. de Sac. Euch.

PRecationes autem, quæ in Rituali Romano habentur; vbi Parochus ægrotum in summo pe-

Dec. 5. De precibus quibusdam omittendis, ac supplendis.

In Instruct. Sacerd. in tit. de extr. vnct. c. 3. num. 6.

periculo esse viderit, omittat; prolata tantùm forma; adhibiturus postea omissas precationes, si adhuc superstes fuerit æger. Qui si dum vnctio peragitur, obierit, desistatur. Et si, an adhuc viuat, dubitetur; poterit formę superaddi conditio: *si est viuus.*

Dec. 6. De immiscendo oleo non consecrato.

QVòd si casu sacrum Oleum defecerit, vt per tempus non liceat illud aliundè habere; misceat oleum non consecratum consecrato. Quæ mixtio fiat guttatim; vt id quod infundit, semper minus sit eo, quod in vase reperitur. Quòd si casu errauerit Parochus, & sacrò Chrismate, vel oleo cathecumenorũ linierit; erratum emendet; adhibendo vnctionem olei infirmorum, cum iteratione formæ; cæteris precibus prætermissis.

Dec. 7. De Parochi substituto. Et de hoc Sacramento admini strãdo his qui pietatis signa dederint.

SAcramentum hoc non ab alio quàm à proprio Parocho ministretur. Qui si fuerit impeditus, & periculum sit in mora; alium substituat. Quod si infirmus, sensuum vsu amisso, sua peccata confiteri, & communionem sumere nequiuerit; nihilominus adhibeatur illi hoc Sacramentum; si dum integris esset sensibus, aliquid contritionis, vel pietatis dederit signum, quo intelligi posset, ipsum petiturum hoc Sacramentum, si sensibus viguisset.

Dec. 8. Parochus, Samaritani stabulario comparatur.

INnouantes deinde, ac districtè iterum præcipientes, omnia & singula, quæ in alia Casinési Synodo sunt sancita, circa huius Sacraměti administrationem, & modum ad infirmos deferendi sacramentalia, & de requisitis tàm ex parte ministrantium, quàm etiam ex parte infirmorum, quibus ministratur: Hortamur preterea Parochũ, vt in hoc tam graui periculo, ouem sibi commissam

sam custodiat; ita vt illi de opportunis remedijs spiritualibus non desit: considerans se esse stabularium illum, cui Samaritanus Euangelicus Christus solus, misericordia motus, & curationi hominis miserè sauciati totus intentus; Sacramentorum alligamenta adhibens, infirmum tradidit curandum, pharmacis, ab eodem Christo præscriptis; qui solus sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.

Sacerdotale Romanû p. 1. tract. 5. de annexis, & concomitatibus hoc Sacramentum cap. 12.

DVm verò Deo fuerit beneplacitum, ægroti animam ad se vocare; ea quæ de exequijs, & sepulturis in alia Casinensi Synodo sunt decreta seruentur. Quod verò ibi determinatum est, nequis alienum Parochianum in sua Ecclesia sepeliat, nisi illa fuerit priuilegiata, aut illam defunctus elegerit, iudicauimus, etiam sepeliri ibi posse, si maiores illius qui est sepeliendus, sibi ipsis, & successoribus sepulchrum posuerint. Si qui verò decesserint aduenæ, non electa sepultura, sepeliantur in maiori Ecclesia, data tamen parte funeralium Curato, qui ei Sacramenta ministrauit.

Dec. 9. De sepultura maiorum, etiã si sit in alia Parochia, non inhibenda. c. 1. & cap. is, qui, & c. licet de sepultura lib. 6.

VT autem decenti modo exequiæ defunctis persoluantur, Populiq; deuotio ad orãdum pro eis excitetur; præcipimus: vt Clerici omnes in maiori Ecclesia conueniant, & pulsatis campanis, omnes cum superpelliceis, & biretis, Cruce præeunte ad locum defuncti, bini accedant. Licitum autem sit illis, pluuiæ tempore vti pileo, & clamyde cum superpelliceo. Et vbi ad locum defuncti accesserint, funus piè, & deuotè psallentes ducant; Nec ab Ecclesia discedant, donec ex ritu S. R. E. iussa fuerint persoluta. Qui contrauenerint, eleemosynarum illius funeris non sint participes.

Dec. 10. De ritu defunctũ deferendi.

Trid. sess. 25. in princ. de Purgatorio.

Si

Dec. 11. De sepulturarũ cõcessione, eisq; procul ab Altaribus excidendis.

Cap. abolẽdæ de sepultur. Et Nau. cõs. 1. de sepultur.

SI quando à nobis, vel nostro Generali Vicario fuerit nouas sepulturas faciendi concessa licentia, sine qua expressè habita fieri eas prohibemus, sub pœna interdicti ab Ecclesiæ ingressu; tũc præcipimus illas ita aptè debere operiri, vt inde malus odor exire non possit. Nec fiant in posterum sepulchra sub Altari; sed quatuor ad minus palmis procul; Et si quæ nunc reperiuntur, aboleantur omninò, translatis ossibus in proximiorem locum.

Dec. 12. De his qui carere merentur ecclesiastica sepultura.

Tab. 2. cap. 9. §. 5. & 6.

Trid. cap. 19. sess. 24. de ref.

Cap. placuit 23. q. 5.

QVi publicè excommunicati, & denuntiati fuerint; Publici Clericorum percussores; Qui dum viuerent, interdicti erant ab ingressu Ecclesiæ; Mortui in duello, aut in prohibitis torneamentis; Vsurarij manifesti, qui decesserint, nulla saltē data cautione de restituendo alieno; Qui sine baptismo; Qui in peccato publico nullo dato contritionis signo moriuntur; Qui se ipsos de industria occidunt, modò non sit ex insania, furore, vel frenesi, cuius iudicium nobis reseruatur; Qui moriuntur non satisfacto eo anno Ecclesiæ præcepto de Cōfessione, & Cōmunione, si in obitu id non præstiterint; Ij omnes non solùm Ecclesiastica sepultura careant; sed ita longè ab Ecclesia sepeliantur, vbi Clericorum canentium voces non valeant exaudiri; Qui contrauenerint, & pœnis Canonum, & alijs à nobis grauiter comminatis, erunt puniendi.

Dec. 13. De funeralium pretio discretè obtinendo.

Cap. abolendæ de sepult. in 6.

ELeemosyna quæ Clero, propter officium in funere celebrandum, datur; non distribuatur populo spectante, sed post exequias in loco remoto; Nec pactiones de funere, vel exequijs celebrandis cum defuncti hærede, aut alio, ad quem spectat, fiant, cum ea conditione, vt certa pars

ceræ quæ exequiarũ officijs superſit, reſtituatur; Nec compellantur exequiarum curatores ad pignus dandum, quo de funerali eleemoſyna ſit cautum. Volumus itẽ, vt miſerabiles perſonæ, quibus mortuis, aut nihil, aut ita parum ſupereſt, vt præ inopia humari nõ poſſint, à Parocho ſumptibus Eccleſiæ ſepeliantur; Alij verò in funerali officio faciendo, contenti ſint omnes eleemoſina, quæ generatim vniuerſo Capitulo, vel ſigillatim vnicuique de Capitulo datur.

cap. ad Apoſtolicam de Simon. c. quæſta 13. q. 2.

PArochus verò, intra cuius Parochiæ fines aliquis alienæ Parochiæ occiſus eſt, eius cadauer liberè aliò transferri non prohibeat; nihilq; ea de cauſa recipiat. Si verò tranſlatio fiat cum funere; liberum illi ſit vti iure ſuo. Qui verò pollinctores funeris curationẽ aliquã habere ſolẽt, quocunque nomine vocati; qui item corpori ſepeliendo operam nauant, eos accipere non vetamus quod pro præſtando officio ſuo, dari conſueuit. Eius verò generis homines, qui in funere ſe ingerunt, nec quicquam operæ ponunt, nihil omninò conſequantur; Nec pro loco, in quem mortuus infertur, ſub quocunque prætextu aliquid exigatur: pias tamen, & laudabiles conſuetudines præcipimus obſeruari.

Dec. 14. De cadauere occiſi transferendo, & de Pollinctoribus perſoluendis.

Federic. de Senis conſ. 29.

Tuſcus ĩ liter. P. cõcluſ. 277.

SI quæ in noſtra Diœceſi reperiantur Cœmeteria, taliter aperta, vt beſtijs pateat aditus; præcipimus, ſtatim muro aliquo circumcingi, & in medio Crucem collocari; Et ita etiam ab Eccleſiarum Rectoribus cuſtodiri, vt ſæpiùs viſitentur; Et ſi herbæ ibi naſcantur, eradicentur, ne creſcant in ſepes; Et nulli in illa loca pateat ingreſſus, niſi ijs tantùm, qui alicuius piæ operationis cauſa eò voluerint introire: Decet enim Chriſtiano-

Dec. 15. De Cœmeterijs decore cuſtodiendis.

stianorum corpora, quorum animæ, dum hic deguerunt, tot Sacramentorum sanctis effectibus fuerunt collustratæ, piè, sanctèq; custodiri.

Dec. 15. De præficis à funere cōercendis.

DAmnabilem in multis nostræ Diœcesis locis consuetudinē videmus inoleuisse, vt Parentum funus nulla ferè habita Patriæ æternæ, sed solius carnalis affectus ostentandi ratione, inconsolabiliter lugeatur; etiam intra Ecclesiam dum corpus sepelitur, clamoribus, & eiulatibus exęstuando; eo præsertim tēpore, quo deberet potius pro defuncti Anima simul cum Sacerdotibus preces Deo offerre; Immò (quod minus est ferēdum) per annum integrum singulis diebus; eoq; elapso, in Anniuersarijs, aduocant lamentatrices; quæ nullo necessitudinis vinculo cū defuncto astrictę, ficta tamen ex præcordijs extrahunt suspiria, fictasq; lamentationes; vt ex Parentum oculis lacrimas per vim extorqueant. Huic ergò importunæ desuetudini obuiam ire volentes, sub pœna excommunicationis præcipimus; vt nec eodem die in Ecclesiā strepitus, & clamores, nec elapsis tribus, aut quatuor diebus in domibus Defunctorū eiulatus, ac lamentationes similes audiantur. Quod vt inuiolabiliter obseruetur, mādamus, à Parochis, hoc nostrum Synodale Decretum, ter saltem in anno, Populo publicari.



De

De Ordine. *Cap. VII.*

ORiginalis iustitiæ virtutibus, ac donis vestitũ hominẽ creauerat Deus, quẽ sua consolidatũ gratia, non desistebat illum confortare, Deoque parebat Ratio, Rationi sensus obtemperabat: Sed post rebellem Deo Spiritum: præpostero quoque ordine Sẽsus à Ratione desciuit. Atq; sic ab Hierusalem delitijs descendit homo in Hiericho, in Mũdi scilicet illecebras, incõstanti Lunæ similes, & in tartareos incidit latrones, qui illum Iustitia originali spoliauerunt, ac peccatorum plagis impositis, homine ipso toto in deterius cõmutato, ac vita spiritus amissa, nonnisi corporali etiam sauciata remanente, abierunt, semiuiuo relicto. Hunc videntes Iudęorum Sacerdotes, & Leuitæ transeuntes (cum maximè deberent) nihil opis attulerunt. Christo tamen cælesti Samaritano, iter per Mundum hunc facienti, nõ satis fuit illud misericordiæ, vt pretiosi sanguinis sui oleum, ac vinũ sauciati hominis vulneribus infunderet; sed duxit illũ in Ecclesiæ Catholicæ diuersorium; ac Sacerdotibus, Leuitis, cœterisq; Euangelicis Custodibus ægrum commendauit; tradiditq; curandum. Non ergo satis fuit ob immensam suã clementiam, cælestem Sacramentorum medicinam, ad spiritualem vitam recuperandam, reliquisse; nisi illorum ministros idoneos constituisset, qui gratiarum diuinarum, ac mysteriorum fideles essent dispensatores: Sicut enim in carnali vita nemo ex se morbum expellit, nemo sibi ipsi applicat medicinam, ex se ipso nascitur nemo, sed aliquo extrinseco opus est agẽte; ita ordinis Sacramen-

Trid. sess. 5. in Dec. de pecc. orig.

Luc. 10.

mentum constituit Christus, quò ipsi Sacerdotes omnes natos baptismo regenerēt, cōfirment soli Episcopi, quidā verò absoluant, alij autē purgēt, & enutriant, matrimonio coniungant, & in extremo robur tradant cōflictu. Licet ergò Christiani omnes, si, quemadmodum Christus se obtulit hostiam Patri, in odorem suauitatis; ita exhibeant corpora sua, hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem; interiùs quodāmodo sola mente videantur munere fungi Sacerdotali: aliud tamen debet esse in Ecclesia externum, ac visibile Sacerdotiū. Nam Iudæis dictum fuerat; *Si custodieritis pactū meum, eritis mihi in regnum Sacerdotale*; cum tamen Moysi præceperit Deus, vt Aaronem, & filios eius vngeret, & sanctificaret eos, vt Sacerdotio fungerentur: Horumq; (& nō illorum) officium, nemini licebat sibi perperā arrogare, quod ex vocatione solùm, & vnctione penderet: Quāobrem *aperta est Terra, & deglutiuit Dathan, & operuit super congregationem Abiron*, quos, & viuos absorpsit, eò quod propria authoritate se Sacerdotio ingerebant. Oza subita morte fuit à Domino peremptus, vel ob id, quod manum Arcæ Dei, ne caderet, submisisset, sui officij fines excedens: Ozias cum functionem Sacerdotalem vsurparet, & increpatus ab Azaria, & reliquis Sacerdotibus Domini, nō desisteret; lepra fuit in frōte percussus. Si ergo hæc omnia in figura cōtingebant illis, quomodo in vera Ecclesia Catholica, cuius illa fuit vmbra, eadem omninò ratione præter internum illud, & spirituale, non sit etiam Sacerdotium visibile, & externum; quod legitima ordinatione, ac cum signo quodam visibili, porrò non sine inuisibili gratia, in Ecclesia Dei conferatur?

Rom. 12.
August. 20. de Ciu. ex Apo. 20. Hieron. cont. Lucif.
Exod. 14.
Ibid. 18.
Ex Conc. Prou. Colō. in Ench. de Sacram.
Num. 16.
2. Paralip. 20.

tur? Propterea ergo Spiritus sanctus alia alijs distribuit ministeria, diuidens singulis prout voluit, ad consũmationem Sanctorũ, in opus ministerij, & ad ædificationem Corporis Christi. Quorum quantò excelsior circa verum ipsius Christi Corpus, & mysticum administratio; tantò alijs probitatis, puritatis, ac sanctitatis eminere debent excellentia. Si ergo Iudaici Sacerdotes, & Leuitæ iacentem vulneratum, ac peccato semimortuum hominem videntes, præterierunt; non prætereant Leuitæ, cœteriq; sanctis ordinibus initiati, & olei illius, quo cum Sacerdotali ordine initiarentur, fuerunt inũcti, immemores misericordiæ. Etiam oleum, & ipsi infundant, eosq; qui varijs animi, & corporis calamitatibus vexantur, consolentur; & dum præsunt hominibus, non præesse gaudeant, sed prodesse; concionibus saltem, consilio, exhortatione, bonorum operũ exemplo, alijsq; ad peccata vitanda remedijs opem ferendo; Sic enim iucundi homines facti, miserebuntur, & commodabunt, bona sua dispergẽtes, & pauperibus dantes; disponẽt sermones suos in iudicio, & in æternum non commouebũtur: Id quod videntes impij hæretici, qui ex aduerso sunt; nihil habentes aduersus nos dicere; dentibus sanè suis fremant, & tabescant. Sicut ergo iussit Dominus ad ipsius exemplum, similiter, & nos vulneribus oleum infundamus, & vinum. Qui enim sanandis vulneribus præest, morsum doloris adhibere debet, & molliciem pietatis; vt per vinum mundentur putrida, per oleum sananda foueantur. Et amor quidem sit, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans; miscenda enim est lenitas cum seueritate; Ac faciendum erit quoddam ex vtraque tem-

Ephes. 4.

Greg. post p. 2. cap. 6.

Greg. Epist. 25. ad Ioan. Epis. Const.

Greg. 2. p. post cap. 6. lib. 20. Mor. cap. 8. temperamentum; vt neque nimia asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate soluantur. Si enim hæc seruauerimus, qui in Cælum discessit Samaritanus Pastor, & Custos noster Christus, dicens nobis Sacerdotibus, curam sauciati hominis habere, quodcunque supererogauerimus, reddet nobis, auctioribus præmijs cumulatum.

Dec. 1. De ordinandorum delectu.

QVoniam sancta ordinatio ianua est, per quã intrant, qui Ecclesiarum gubernacula sunt suscepturi; hinc est, maxima à nobis custodia sit adhibenda, vt per illam non intrent nisi ij, quorum indoles talis sit, vt spem afferat, eos ecclesiasticis ministerijs ita inseruituros, qualiter Christi decet ministros. Quam custodiam adeò à sanctis Apostolis legimus commendatam, & obseruatam, cùm in Iudæ locum Matthiam (Act. 1.) suffecerũt, cùm Barnabam ad Antiochiam destinarunt (Act. 11.), *eo quòd esset vir bonus*, & vt Scriptura ait, *plenus Spiritu sancto*, & cùm Stephanum (Ibid. 6.), aliosq. Diaconos elegerunt, considerantes quinam essent viri boni testimonij, Spiritu sancto, ac sapientia pleni. A qua regula si discesserimus, morbus exorietur talis in Ecclesia Dei, atque ita radicatus, vt vix spes vlla medendi relinquatur. Oculatissimè ergò in posterum erit inspiciendum, vt cùm magno personarum delectu, Clericali militiæ adscribantur; seruatis semper districtè omnibus ijs, quæ à sacris Canonibus, & (Sess. 23.) præsertim à sacrosancto Concilio Tridentino circa istud sunt sancita.

Dec. 2. De ad sacras, & minores ordinationes admittendis.

QVare exactissimè fiant necessariæ probationes, publicationes, eaq. omnia, quæ iuxta sacrorum Canonum dispositiones ante Ordinum

su-

susceptionem debent præcedere, iuxta sancita in alia Synodo. Ad primam autem Clericalem tonsuram recipiendam non admittatur aliquis, ante octauum ætatis annum; vel qui confirmationis Sacramentum non susceperit, vel qui fidei rudimenta ignorat, vel legere, & scribere nescit; vel demum de quo probabilis coniectura est, eum secularis Iudicis fugiendi fraude, vel ad fugiendas taleas, collectas, & similia, quibus laici grauari solent, hoc vitæ genus sibi elegisse, iuxta sacrosancti Concilij Tridentini decretum.

Synod. Casin. sess. 2. c. 7. d. 1. fol. 123.

Trid. sess. 23. cap. 4.

c. fin. de sump. ord. in 6.

Dec. 3. De Clericis Ecclesiæ seruitio adscribendis.

QVi verò præuijs dictis requisitis ad Clericalem tonsuram fuerit promotus, statim Parochialis Ecclesiæ seruitio, cui omnibus festis diebus inseruire debet, mancipetur. Qui secus facient, & Ecclesiæ Præpositis non fuerint obedientes, arbitrio nostro punientur, si iam fuerint in sacris constituti; si verò non, præterquàm quòd fori, talearum, & collectarum priuilegio priuabuntur, ad superiores ordines nullo pacto (nisi præuia congrua satisfactione) promouebuntur. Hoc ergo decreto sancimus, vt nullus in minoribus constitutus, fori, & prædictorum priuilegio gaudeat, nisi habitum, & tonsuram continuò deferat clericalem, etiam extra Ecclesiam, cui inseruit. Inobedientes verò, etiam beneficij ecclesiastici, si quod obtinent, iactura mulctabuntur.

Trid. sess. 23. c. 6. & c. 18.

Dec. 4. De Clericis coniugatis.

SI quis verò in posterum priuilegio voluerit gaudere Clericorum coniugatorum, in illo seruanda erit Bonifacij IX. Constitutio, quæ incipit, *Clerici qui cum vnicis*. Et iuxtà sacrosancti Concilij Tridentini statutum, alicuius Ecclesiæ seruitio, vel ministerio à nobis erit deputan-

dus. Cui Ecclesiæ verè, personaliter inseruiat, & in Clericali habitu, & tonsura semper incedat.

Dec. 5. De suscepturis sacros ordines examinandis.

AD maiores ordines promouendi, ipsum ordinationum tempus non expectent, sed per mensem ante ordinationem coram nostro Generali Vicario, vel alio à nobis ad id deputādo cōpareant, qui Parocho cōmittat, vt nominibus ac desiderio eorū qui voluerint promoueri, publicè in Ecclesia propositis; de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, ac vita à fide dignis diligenter inquirat, & litteras testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsos transmittat. Ipsi verò quibus hoc committitur, cauere debent, ne aut fauoris gratia, aut cuiuscunque muneris cupiditate illecti à verò deuient, vt indignum, & minùs idoneum ad sacros gradus suscipiendos faciant applicari; considerantes, se aliorum peccatis culpabiliùs communicare.

Trid. sess. 29. cap. 5.

Ibid. & Burel. l. 2. cap. 1.

Dec. 6. De dimissorijs concedendis. Neq. reprobatis, nisi alio tēpore admittēdis.

Ex Conc. Carthag. 3. c. 22.

NVlli in posterum dimissoriæ litteræ concedantur, vt ad sacros ordines promoueatur, qui coram nobis, vel nostro Vicario Generali feria secunda ante Sabbatum, in quo sacræ ordinationes habendæ erunt non cōparuerit, vt ab Examinatoribus Synodalibus, ad id necessariò conuocandis, examinetur, de doctrina, & sufficientia. Examinatores verò pauciores tribus esse non possint; vt sine vlla controuersia, aut strepitu, seruari possit ab ipsis totum id, quod conscientiæ ipsorum videbitur expedire. Quod si quis præuio tali examine, iudicatus fuerit minus idoneus, nō possit (nobis peculiariter non consultis) iterum, eodem tempore ad examen admitti; sed vsque ad alia ordinationum tempora differatur.

Nec

NEc præsententur nobis eadem die ad omnes, vel plures minores ordines promouendi, nisi à nobis fuerit priùs iudicatũ, id Ecclesiæ, cui sunt adscripti, vel adscribendi, necessitati, vel vtilitati expedire. Cæterùm semper seruatis aliquibus interstitijs promoueantur, vt eò accuratiùs quantum sit huius disciplinæ põdus, possint edoceri; ac in vno quoque munere, in ea in qua adscripti erũt Ecclesia, se exercere. Atq; ita de gradu in gradũ ascendãt, vt in eis cũ ætate, vitæ meritũ, ac doctrina maior accrescat. Excipimus tñ eos, qui studiorũ causa, cũ nostra licentia abeunt.

Dec. 7. De pluribus ordinibus eadem die non conferendis.

c. in singulis cũ seq. 79. dis.

Siri c. Pap. ad Himer.

NVlli in posterum ad sacrum Subdiaconatus ordinem ascendendi concedatur facultas, nisi elapso anno à susceptione postremi gradus minorum ordinum. In quorum examine, districtiùs faciendo, examinatorum conscientias oneramus; Cum enim illos in clericali vita permanendi necessitas, per susceptum illum sacrum ordinem cogat, & propter ignorantiam ab altioribus repellantur, facilè in desperationem incidẽt, Examinatorum culpa, qui aliàs illum approbarunt, eò quòd intento deinde sint fine priuandi. Nemini ergo talis facultas concedatur, quẽ non scientiæ spes, maioribus illum ordinibus dignum ostendat; Neque enim ad diuina mysteria tractãda accedere debet, nisi ille, quẽ morũ innocentia, ac litterarũ splendor reddunt illustrem.

Dec. 8. De Subdiacono, cum accurato examine, faciendo.

c. qui ecclesiasticis dist. 59.

Conc. Tolet. 8 cap. 8.

ET quoniam valde indecens est, Christi ministros ostiatim stipem cogere; ideò præter ea, quæ in alia Synodo sunt sancita; circa beneficium ecclesiasticum, vel patrimonium obtinendum ab ijs, qui ad sacros ordines voluerint promoueri; statuimus, & ordinamus; vt tam quoad

Dec. 9. De titulo sine fictione habẽdo, & nõ alienando. fol. 125.

Trid. sess. 21. cap. 2.

beneficium, quam patrimonium, num sufficientia sint, & pacificè possideantur, probationes fiat instrumentis solùm à nostræ Curiæ Notario, vel alio à nobis, vel nostro Vicario Generali deputato confectis. Qui ea non conficiant, nisi probatorum virorum testimonio de possessionis veritate suffulti. Ordinem verò suscepturus, iuret se, bona illa nõ alienaturum, vel quoquo pacto obligaturum, sine nostro, vel nostri Vicarij Generalis consensu, non concedendo, nisi constito priùs, quòd possit aliundè commodè viuere. Quòd si in dicto patrimonio constituendo, fictio aliqua, vel simulata pactio interuenerit, præter periurij, & falsi pœnas, laici ab ingressu Ecclesiæ sint ipso facto interdicti, promotus verò ab executione susceptorum ordinum suspensus, & ad alios recipiendos inhabilis.

Act. Ecc. Med. p. 1. de temp. ordin. cap. vlt.

Dec. 10. Subdiaconus ordinatus sine titulo, sine co non posse fieri Diaconum.

QVòd si post talem ordinationem cum patrimonio ficto, absolutionem à suspensione, quam incurrit, obtinuerit; non intelligatur ad alios sacros ordines posse promoueri, nisi etiam constiterit, se habere vnde commodè posit sustentari. Constitutio enim illa, non propter ordinem Subdiaconalem tantùm fuit facta, sed propter omnes ordines sacros, in quibus qui constitutus est, mendicare non debet; vnde si iterum eodem modo assumeretur ad alium ordinem superiorem, iterum eandem incurreret suspensionem.

Addit. ad Caiet. de ordine cap. vltimo.

Dec. 11. Pro publicationibus, vel examinationibus nihil accipiatur.

VOlumus item, vt publicationes pro ordinandis fiant die festiuo in Parochiali Ecclesia ipsius ordinandi, nec non in alia, si alterius seruitio fuerint adscripti. Pro dictis verò denuntiationibus, & pro fide illarum à Parochis facienda,

nihil

nihil exigatur, sed omninò gratis fiant. Caueant item ordinandorum examinatores, vt quidquam ab illis accipiant, antequam approbati fuerint, vt sic non solùm ab omni simoniacæ labis (quod absit) verùm etiam à turpis quæstus suspitione, Ecclesia (vt decet bonos dispensatores multiformis gratiæ Dei) sit aliena.

Dec. 12. De ordinatorum ante ætatem pœna.

SAcris ordinibus initiati, ante legitimam ætatem (in quo nunc attendi debet dispositio Concilij Tridentini) vel absque nostris, aut Vicarij nostri Generalis litteris; cui specialiter hoc committimus; seù cum illis quidem, sed deprauatis, aut fictis; nouerint se esse ipso iure suspensos ab eorum ordinum saltem exequutione. Quod si malè susceptis, eorum quenquam exercere actum aliquem præsumpserint, irregularitatem contrahunt, iuxtà Pij II. & Gregorij XIII. Constitutiones, vsu receptas: Quæ non solùm intelliguntur, vt suspensi remaneant vsque ad legitimam ætatē superuenientem, sed perpetuò, donec absolutionis beneficium consequantur. Immò aduertant ex multorum Doctorum sensu, quod promoti sic ad Presbyteratum, statim sunt irregulares, nam cum in eodem actu ordinationis, actum ordinis exerceant, concelebrando cum Episcopo ordinante, sunt ipsoetiam facto iudicādi irregulares; etiam si nullum alium actum ordini suo admixtū præter istum exerceant; Quod saltem dubitari valde probabiliter debet, propter tā multos Doctores, hoc asserentes; licet non desint, qui oppositum putent veriùs.

Sess. 23. de reform. cap. 12.

Pij II. 1461. Gregor. XIII. 1572.

Rebuf. in prax benef. p. 2. tit. de Clericis ad sac. ord. malè promot.

Nau. cons. 4. de Clericis.

Sorb. in Cōp. priuileg. verb. ordines sacri.

Henr. in sum. lib. 14. cap. 3. de irrig.

Say. l. 4. thes. c. 16. num. 23.

Suar. decis. distin. 31. sect. 1.

Dec. 13. De pueris diligentioribus instruendis, & adiuuandis.

VT verò ad Ecclesiæ ministerium plures instituantur, qui ab ineunte ætate ad pietatem, vitæq. innocentiam, cum litterarum doctri-

na coniungendam, instruantur; Parochos vehementer hortamur, vt studeant quàm plures possunt pueros, præsertim pauperes, bona indole prǽditos, taliter erudire, qui spem afferāt, eos sacris initiatos, Ecclesiæ ministros vtiles forè ad ecclesiasticas functiones cum pietate, & diligentia obeundas. Eosdem prætereà, tùm anteà, tum post susceptam Clericalem tõsuram, ac deinceps minores ordines, pro paternæ charitatis studio, optimis moribus, ac functionibus, Clericali disciplinæ congruentibus, infórment; præsertim si ab alijs probatis viris, vel propter inopiam, vel propter aliam causam commodè erudiri non possunt; & quos bonos progressus deprehendent facere, ad nos deferant, vt vel in Seminario cooptati, vel alia via adiuti, altioribus scientijs possint operam nauare.

Dec. 14. De initiandorum bireto, & talari. Alijsq. requisitis.

NOn audeat in posterum vllus coram nobis accedere, vt prima tonsura initietur, nisi cum talari habitu, & clericali bireto, proprijs, non verò ab alijs commodatò acceptis; ne statim post cogatur illa restituere, & sine illis incedere. Ad maiores verò ordines assumendi, Breuiarium coram Examinatoribus secum ferant; à quibus de ordine, & modo Diuinum Officium recitandi, erunt examinandi; qui si illud recitare minimè sciuerint, licentia illis, ad vlteriores ordines ascendendi, non concedatur. Ad Presbyteratum verò ascensurus, probet se priùs multo tempore in ordine Subdiaconali, & Diaconali functiones exercuisse, nisi aliter ex dispensationis beneficio illi sit indulgendum. Districtiùs item examinetur, num sciat de Sacramentorum doctrina respondere, Canonem item Missæ, Sacerdotaliumq.

vestium, & similium mysteria explicare.

QVi dimissoriales litteras à nobis obtinuerit, vt à quocunque Reuerendissimo Antistite possit sacris ordinibus initiari; si illis temporibus, vel propter suam incuriam, vel alia de causa non fuerit illis initiatus, non audeat cum ijsdem dimissorijs ad eundem effectum è Diœcesi nostra aliàs exire, nisi alijs obtentis. Postquam verò susceptis ordinibus domum fuerit reuersus, statim nostræ Curiæ Notarium teneatur adire, vt ab eo in libro ad id deputato notentur nomina, ipsius ordinati, Reuerendissimi Episcopi ordinantis, & loci, in quo fuit ordinatus. Cui etiam teneatur ostendere litteras testimoniales, manu Reuerendissimi Episcopi ordinantis subscriptas. Pro ea verò adnotatione nihil possit Notarius nostræ Curiæ ab illis exigere.

Dec. 15. Dimissorijs antiquis nemo vtat. Ordinati vero dent nostro Notario nomina, Bullasq. ostēdant.

POrrò licet in Exorcistatus ordine exorcizādi potestas singulis tribuatur; ad euitanda tamen plurima, quæ Christianam pietatem, ac religionem non decent; exequutionem talis facultatis vnicuique absque nostra licentia in scripto prohibemus. Illa verò à nobis data, infrascripta seruentur. Primò, facto diligenti examine vitæ, ac morum Energumeni exorcizandi, an morbo potiùs aliquo vexetur medicus consulatur. Tum verò, dum munus hoc, charitatis exigente necessitate, obibit, id in templo faciat, nō alibi. Non coram multitudine, sed solùm præsentibus grauibus, & honestis viris, vno saltem, aut altero secum ecclesiastico adhibito. Quòd si exorcizetur fœmina, placeat coram parētibus, & cognatis ipsius fieri. Semper autem exorcizās se peccatorum expiatione, & sacræ communio-

Dec. 16. De Exorcistarū ministerio exercendo.

nis robore præmuniat, cum sibi non sit colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & Potestates tenebrarum; Quod idẽ, vt exorcizandus faciat, omninò curet. Cui etiã præcipiat, vt precibus incumbat, supplicationes, si fieri poterit, instituat, Ecclesias frequentet, Sanctorum reliquias piè veneretur, Christi Domini cruciatus crebra cogitatione complectatur. Dum verò fœminas exorcizat, manus supra illas nec indecorè, nec sine maxima honestate admoueat, nec aliquod etiam faciat, quod officij, & cælestis illius potestatis minuat dignitatem.

De Matrimonio. Cap. VIII.

Tertul. lib. 4. 3. Marcia. c. 31. Greg. hom. 36. in Euang.

COenam verò magnã fecit Deus, dum æternæ vitæ saturitatem præparauit; post quam in sempiterno illo die, nullum aliud restabit conuiuium expetẽdum; omnis enim generis epulæ magnis illis Cæli Principibus exhibebuntur, cum lumen gloriæ intuentium præbebit intellectui, vt, & Deũ ipsum, cęlestia fercula, ac cibos gustent omni suauitate dulciores. In qua, vt Electorum numero, absoluto, paratæ pro Cõuiuis sedes implerentur multorum propagatione opus fuit. Ideò ergo manu formatoris, introducto primo homine in mundum, bonum non erat, illum esse solũ; vnde fecit ei adiutorium simile sibi; Adamo thalami præbendo consortem, quæ filios Dei cultores gigneret, vt impleretur conuiuarũ domus. Quod cum videret Adam, os ex ossibus suis, & carnem de carne sua; indissolubilem, perpetuumq; Matrimonij nexum, Diuini spiritus instinctu, pronunciauit; dicens: *Relinquet homo Patrem, & Ma-*

Gen. 2.

trem

trem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. itaque in Matrimonio non sunt amplius duæ, sed vna indissolubilis caro. Sicut enim vna caro semper vna remanet, donec morte interueniente dissoluatur; ita viri, & vxori nexus, donec sola morte diuidatur. Est ergo Matrimonij vinculum diuinum, & à Deo institutum, vt propterea nullius hominis valeat potestate seiungi. Sacramentum itaque hoc magnum est, Christi Sponsi, & Ecclesiæ Sponsæ significans cõiunctionem. Si enim baptismus, quia culpa dimissa ianuæ cælestis aperit fores, si Eucharistia, quia Christum ipsum continet, Sacramenta magna dicuntur; & Matrimonium etiam magnum erit Sacramentum; quia sacræ rei sanctificantis animam est signum, sicut etiam alia Sacramenta: Et hoc insuper peculiariter habet, quia Christi, & Eccesiæ significat coniunctionem. Nulli ergo dubium esse debet, quin per illud gratia cõferatur, cum propterea Paulus dicat, *Mulier saluabitur per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione.* In statu enim coniugij, mulier filios generans, quamuis virginitatem non seruet; si tamen in Matrimonij fidelitate, & coniugij dilectione permanserit, salutem consequetur æternam. Est quidem Virginitas coniugio superior, qua suam etiam sanctissimã Matrem, vt nihil ei ad summam excellẽtiam deesse posset condecorare voluit, dilectumq; præ ceteris discipulum insignire, vt cælestis Aquila nulla terrestri labe ab altissimo in Cælum volatu retardari posset: Cælestis tamen Sponsus castitatem etiam coniugalem sibi placere, miraculo in nuptijs Canæ Galileæ operato, voluit cõ-

Trid. sess. 4. initio.

Ephes. 5.

D. Tho. super Paul. Ephes. 5.

Thim. 2.

Hieron. ad Eustoch. de custodia Virgin.

probare. Non enim est nuptijs detrahere, cum illis Virginitas antefertur. Glorientur,& nuptæ, cum à virginibus sint secundæ. Non tamen concupiscentiæ illecebris attracti, debent coniuges Matrimonio copulari;sed Thobiã imitari: nempè solùm,vt in posteritate nomen Domini benedicatur. Vndè,& Raphael Angelus, cùm eundem iuuenem Thobiam de obseruandis in Matrimonio instrueret; *Tu*,inquit,*cum acceperis eam,ingressus in cubiculum per tres dies, continens esto ab ea, & nihil aliud nisi orationibus vacabis cũ ea; transacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorũ magis, quàm libidine ductus, vt benedictionem in filijs consequaris,illos in via Domini progredi instruendo, vt ab illis nomen Domini exaltetur*. Neque enim felicitatis est filios habere, quod cõmune etiam est auibus, quibus dictum item est; *Crescite, & multiplicamini*; Magis autem est cogitandum, vt filij bonis moribus imbuantur, & quomodo piè,sanctèq; viuant, instruantur. Danda igitur diligentissimè opera est; vt ij qui Matrimonio sunt coniuncti, non Terram solùm, sed Cælum quoque filijs repleant; vt nempè ea educatione filij instruantur, ex qua, & Ecclesia ornamentum,& Cæleste regnũ recipiat incrementum. Non enim solùm ex Matrimonio nascuntur filij, quibus in Orbe hoc peregrè agens Ecclesia conflatur; sed, & illi, quos Deus in Cælestem illam,sempiternamq; gloriam, ab æternitate prædestinauit. Sic Matrimonij dignitatem præ oculis habentes, quos Deus coniungi prædestinauit ab æterno,& in tempore coniunxit, spurcitijs adulteriorũ non coinquinabuntur; sed coniugali fide seruata, de illis dici poterit,

Thob. 8.

Gen. 9.

rit, *quod nuptiæ factæ sunt, & erat Mater Iesu ibi, ad quas vocatus est Iesus, & Discipuli eius.* quibus veræ lætitiæ vinum non deerit, castitas, fides, prolis diligens educatio, pax, amor, concordia. Cõtrà verò, qui carnalem aduocat voluptatem, & dæmonem illius conseruatorem, vinum habebit in aquam conuersum, & adulteria, rixas, odia, domusq; totius semper habebit perturbationem. Audiat Vir, quæ Sapiens est loquutus dum vxori fidem docuit præstare; *Bibe*, inquit ille, *aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui.* Et infra; *Nec sint alieni participes tui. Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adolescentiæ tuæ. Ceruâ charissima, & gratissimus hinnulus.* Habens enim vxorem, vti debet vase suo in sanctificatione; & pudicitia, & bibere de fontibus suis, nec quærere cisternas Lupanarũ dissipatas, quę purissimas aquas pudicitiæ continere non valent. *Videant*, vt cum Chrysostomo illos alloquar, *quem Sponsus, quã Sponsa adumbret; Ille enim Christum, hæc Ecclesiam significat*, iuxta illud Pauli; *despondi vos vni Viro, virginem castam exhibere Christo.* Et sic Spõsus Christum imitetur, Sponsa verò Ecclesiã; Sic vir diliget vxorem suam, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea. Mulieres verò Viris suis erunt subditæ, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris sicut Christus caput est Ecclesiæ; Et sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita mulieres Viris suis; Quibus verbis proponit Apostolus Viris, illius amoris debere esse imitatores, quo Christus Sponsam suam Ecclesiam complectitur; Vxorem verò illius obedientiæ sectatricem; quam suo Sponso Christo semper præstat Ecclesia. Vndè abundabit vinum bo-

Ioan. 2.

Chrys. hom. 12 ad Coloss.

2. Cor. 11.

Ephes. 5.

bonum, & vsque ad vltimum seruabitur, nec deficiet, sicut in nuptijs Adæ, atque Euæ defecit; vndè defecit lætitia, defecere tot, tantaq; bona. Adhæreat ergo vir vxori suæ, & vxor viro suo amore, pacisq; glutino adhęreat; Non diuidatur discordia, non elongentur infidelitate, non separentur iurgijs: Indigni enim sunt coniugijs, qui immiscentur iurgijs. Nuptias ineant illas, quas Christus sanctificauit, non illas, quas carnalis sensus concupiuit; ne ad Cælestem Cœnam vocati, dicant; vxorem [voluptatem] duxi, & ideò non possum venire.

Dec. 1. Bona Matrimonij Fides, proles, & Sacramentum.

STudeant ergo Parochi, tria illa à Sanctis Patribus numerata bona, sæpiùs coniugatis inculcare; quæ sunt *Sacramentum, fides, proles*. In Sacramento enim attenditur, vt coniugium nunquã separetur, quemadmodum ab Ecclesia nunquam separatur Christus. Quæ enim sub viro est mulier, illo viuente alligata est legi; illo mortuo ab ipsius lege soluta. In fide autem attenditur, ne propter cõiugale vinculũ cum alio concũbatur, qui enim vxorem habet, vase suo vti debet in sanctificationem. In prole verò attenditur, vt benignè suscipiatur, amanter nutriatur, religiosè educetur.

Aug. 9 de Gen. ad litt. c. 7.
Isid. 2. de Ecclesiast. Offic. cap 19.
Rom. 7.
Hieronym. ad Gaudent.

Dec. 2. De libertate consensus, per Parochos docenda.

ITem Parochorum munus erit parentes docere, liberos debere esse Matrimoniales consensus; secus enim semper exitus inhonesti, turpesq; solent inde perοriri: Item ne minores natu solutos esse in carnalibus voluptatibus permittant; neue solo primogenito dotato alios à Matrimonijs abstinere cogant. Filios verò moneant, vt absque parentum consensu, atque venia petita, matrimonia ne ineant; non quòd renitentibus, inconsultisque parentibus, factum coniugij fœdus sit inuali-

Trid. sess. 24. de refor. Matr. cap. 1.

ualidum,& minùs firmum; sed quòd paterno obedientiæ,ac reuerentiæ officio sit præsertim in hoc actu satisfaciendum; vt habita parentum benedictione, illam etiam Deus desuper largiatur.

Dec. 3. De vxore,proprio iudicio nō dimittēda.

QVòd si aliquem fortè deprehenderint, qui nulla habita matrimonialis legis ratione, temerè audeat à matrimoniali domicilio, vel thoro discedere; vel, non grauibus vrgentibus causis, Superiorum iudicio maturè consideratis, & examinandis,de discessu cogitare: seuerè eum, prudenterq; moneāt, quàm grauiter ille,non solū contra coniugem, sed contra Christū ipsum peccet, dum vinculum illud, quod perpetuum ipsius Christi cum Ecclesia nexum designat, si non dissoluere (quod vtique non potest) saltem tentat aliquo pacto frangere. Quòd si hoc non posse se, per se ipsos existiment, moneant,vt viros aliquos doctrina, ac prudentia illustres adeant, & nos quamprimùm de hoc commonefaciant.

Dec.4. Delatio impedimentorum, suspendit denunciationes.

POst denuntiationes factas in Ecclesia de Matrimonio contrahēdo,iuxta Sac. Conc. Trid. Decretū, in alia [a] Casinensi Synodo insinuatum, cuius iterum decreta omnia hic innouamus, & iterum,quatenùs opus est, sancimus; Præcipimus; vt si quod impedimentum fuerit denuntiatum, etiam si falsum præsumatur, non possint coniuges ad alias denuntiationes faciendas iterum se referre; sed statim fiat noster Vicarius Generalis certior,vt coram ipso, vel alio de ipsius commissione,fiant probationes;sit ne falsò,vel malitiosè, non verè impedimentum illud obiectum. Quòd si hoc accidat post primam tantùm monitionem, non vlteriùs ad alias faciendas per Parochū procedatur;sub pœna suspensionis. Quòd si quis malitio-

a Fol.132.

Act.Ecc. Med. part.2. Syn.3. dec. 34.

dus. Cui Ecclesiæ verè, personaliter inseruiat, & in Clericali habitu, & tonsura semper incedat.

Dec. 5. De suscepturis sacros ordines examinandis.

AD maiores ordines promouendi, ipsum ordinationum tempus non expectent, sed per mensem ante ordinationem coram nostro Generali Vicario, vel alio à nobis ad id deputãdo cõpareant, qui Parocho cõmittat, vt nominibus ac desiderio eorũ qui voluerint promoueri, publicè in Ecclesia propositis; de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, ac vita à fide dignis diligenter inquirat, & litteras testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsos transmittat. Ipsi verò quibus hoc committitur, cauere debent, ne aut fauoris gratia, aut cuiuscunque muneris cupiditate illecti à verò deuient, vt indignum, & minùs idoneum ad sacros gradus suscipiendos faciant applicari; considerantes, se aliorum peccatis culpabiliùs communicare.

Trid. sess. 29. cap. 5.

Ibid. & Eutel. l. 2. cap. 1.

Dec. 6. De dimissorijs concedendis. Deq. reprobatis, nisi alio tẽpore admittẽdis.

Ex Conc. Carthag. 3. c. 22.

NVlli in posterum dimissoriæ litteræ concedantur, vt ad sacros ordines promoueatur, qui coram nobis, vel nostro Vicario Generali feria secunda ante Sabbatum, in quo sacræ ordinationes habendæ erunt non cõparuerit, vt ab Examinatoribus Synodalibus, ad id necessariò conuocandis, examinetur, de doctrina, & sufficientia. Examinatores verò pauciores tribus esse non possint; vt sine vlla controuersia, aut strepitu, seruari possit ab ipsis totum id, quod conscientiæ ipsorum videbitur expedire. Quod si quis præuio tali examine, iudicatus fuerit minus idoneus, nõ possit (nobis peculiariter non consultis) iterum, eodem tempore ad examen admitti; sed vsque ad alia ordinationum tempora differatur.

Nec

NEc præsententur nobis eadem die ad omnes, vel plures minores ordines promouendi, nisi à nobis fuerit priùs iudicatũ, id Ecclesiæ, cui sunt adscripti, vel adscribendi, necessitati, vel vtilitati expedire. Cæterùm semper seruatis aliquibus interstitijs promoueantur, vt eò accuratiùs quantum sit huius disciplinæ põdus, possint edoceri; ac in vno quoque munere, in ea in qua adscripti erũt Ecclesia, se exercere. Atq; ita de gradu in gradũ ascendãt, vt in eis cũ ætate, vitæ meritũ, ac doctrina maior accrescat. Excipimus tñ eos, qui studiorũ causa, cũ nostra licentia abeunt.

Dec. 7. De pluribus ordinibus eadem die non conferendis.

c. in singulis cũ seq. 79. dist.

Siri c. Pap. ad Himer.

NVlli in posterum ad sacrum Subdiaconatus ordinem ascendendi concedatur facultas, nisi elapso anno à susceptione postremi gradus minorum ordinum. In quorum examine, districtiùs faciendo, examinatorum conscientias oneramus; Cum enim illos in clericali vita permanendi necessitas, per susceptum illum sacrum ordinem cogat, & propter ignorantiam ab altioribus repellantur, facilè in desperationem incidẽt, Examinatorum culpa, qui aliàs illum approbarunt, eo quòd intento deinde sint fine priuandi. Nemini ergo talis facultas concedatur, quẽ non scientiæ spes, maioribus illum ordinibus dignum ostendat; Neque enim ad diuina mysteria tractãda accedere debet, nisi ille, quẽ morũ innocentia, ac litterarũ splendor reddunt illustrem.

Dec. 8. De Subdiacono, cum accurato examine, faciendo.

c. qui ecclesiasticis dist. 59.

Conc. Tolet. 8 cap. 8.

ET quoniam valde indecens est, Christi ministros ostiatim stipem cogere; ideò præter ea, quæ in alia Synodo sunt sancita; circa beneficium ecclesiasticum, vel patrimonium obtinendum ab ijs, qui ad sacros ordines voluerint promoueri; statuimus, & ordinamus; vt tam quoad

Dec. 9. De titulo sine fictione habẽdo, & nõ alienando. fol. 125.

Trid. sess. 21. cap. 2.

beneficium, quam patrimonium, num sufficientia sint, & pacificè possideantur, probationes fiat instrumentis solùm à nostræ Curiæ Notario, vel alio à nobis, vel nostro Vicario Generali deputato confectis. Qui ea non conficiant, nisi probatorum virorum testimonio de possessionis veritate suffulti. Ordinem verò suscepturus, iuret se bona illa nó alienaturum, vel quoquo pacto obligaturum, sine nostro, vel nostri Vicarij Generalis consensu, non concedendo, nisi constito priùs, quòd possit aliundè commodè viuere. Quòd si in dicto patrimonio constituendo, fictio aliqua, vel simulata pactio interuenerit, præter periurij, & falsi pœnas, laici ab ingressu Ecclesiæ sint ipso facto interdicti, promotus verò ab executione susceptorum ordinum suspensus, & ad alios recipiendos inhabilis.

Act. Eec. Med. p. 1. de temp. ordin. cap. vlt.

Dec. 10. Subdiaconus ordinatus sine titulo, sine eo non posse fieri Diaconum.

QVòd si post talem ordinationem cum patrimonio ficto, absolutionem à suspensione, quam incurrit, obtinuerit; non intelligatur ad alios sacros ordines posse promoueri, nisi etiam constiterit, se habere vnde commodè posit sustentari. Constitutio enim illa, non propter ordinem Subdiaconalem tantùm fuit facta, sed propter omnes ordines sacros, in quibus qui constitutus est, mendicare non debet; vnde si iterum eodem modo assumeretur ad alium ordinem superiorem, iterum eandem incurreret suspensionem.

Addit. ad Caiet. de ordine cap. vltimo.

Dec. 11. Pro publicationibus, vel examinationibus nihil accipiatur.

VOlumus item, vt publicationes pro ordinãdis fiant die festiuo in Parochiali Ecclesia ipsius ordinandi, nec non in alia, si alterius seruitio fuerint adscripti. Pro dictis verò denuntiationibus, & pro fide illarum à Parochis facienda, nihil

nihil exigatur, sed omninò gratis fiant. Caueant item ordinandorum examinatores, vt quidquam ab illis accipiant, antequam approbati fuerint, vt sic non solùm ab omni simoniacæ labis (quod absit) verùm etiam à turpis quæstus suspitione, Ecclesia (vt decet bonos dispensatores multiformis gratiæ Dei) sit aliena.

SAcris ordinibus initiati, ante legitimam ætatem (in quo nunc attendi debet dispositio Concilij Tridentini) vel absque nostris, aut Vicarij nostri Generalis litteris; cui specialiter hoc committimus; seù cum illis quidem, sed deprauatis, aut fictis; nouerint se esse ipso iure suspensos ab eorum ordinum saltem exequutione. Quod si malè susceptis, eorum quenquam exercere actum aliquem præsumpserint, irregularitatem contrahunt, iuxtà Pij II. & Gregorij XIII. Constitutiones, vsu receptas: Quæ non solùm intelliguntur, vt suspensi remaneant vsque ad legitimam ætatē superuenientem, sed perpetuò, donec absolutionis beneficium consequantur. Immò aduertant ex multorum Doctorum sensu, quod promoti sic ad Presbyteratum, statim sunt irregulares, namcum in eodem actu ordinationis, actum ordinis exerceant; concelebrando cum Episcopo ordinante, sunt ipsoetiam facto iudicādi irregulares; etiam si nullum alium actum ordini suo admixtū præter istum exerceant; Quod saltem dubitari valde probabiliter debet, propter tā multos Doctores, hoc asserentes; licet non desint, qui oppositum putent veriùs.

Dec. 12. De ordinatorum ante ætatem pœna.

Sess. 23. de reform. cap. 12.

Pij II. 1461. Gregor. XIII. 1572.

Rebuf. in prax benef. p. 2. tit. de Clericis ad fac. ord. malè promot.

Nau. conf. 4. de Clericis.

Sorb. in Cōp. priuileg. verb. ordines sacri.

Henr. in sum. lib. 14. cap. 3. de irrig.

Say. l. 4. thes. c. 16. num. 23.

Suar. decis. distin. 31. sect. 1.

VT verò ad Ecclesiæ ministerium plures instituantur, qui ab ineunte ætate ad pietatem, vitæq. innocentiam, cum litterarum doctri-

Dec. 13. De pueris diligentioribus instruendis, & adiuuandis.

na coniungendam, instruantur; Parochos vehementer hortamur, vt studeant quàm plures possunt pueros, præsertim pauperes, bona indole præditos, taliter erudire, qui spem afferãt, eos sacris initiatos, Ecclesiæ ministros vtiles forè ad ecclesiasticas functiones cum pietate, & diligentia obeundas. Eosdem præterea, tùm anteà, tum post susceptam Clericalem tõsuram, ac deinceps minores ordines, pro paternæ charitatis studio, optimis moribus, ac functionibus, Clericali disciplinæ congruentibus, infórment; præsertim si ab alijs probatis viris, vel propter inopiam, vel propter aliam causam commodè erudiri non possunt; & quos bonos progressus deprehendent facere, ad nos deferant, vt vel in Seminario cooptati, vel alia via adiuti, altioribus scientijs possint operam nauare.

Dec. 14. De initiandorum bireto, & talari. Alijsq. requisitis.

NOn audeat in posterum vllus coram nobis accedere, vt prima tonsura initietur, nisi cum talari habitu, & clericali bireto, proprijs, non verò ab alijs commodatò acceptis; ne statim post cogatur illa restituere, & sine illis incedere. Ad maiores verò ordines assumendi, Breuiarium coram Examinatoribus secum ferant; à quibus de ordine, & modo Diuinum Officium recitandi, erunt examinandi; qui si illud recitare minimè sciuerint, licentia illis, ad vlteriores ordines ascendendi, non concedatur. Ad Presbyteratum verò ascensurus, probet se priùs multo tempore in ordine Subdiaconali, & Diaconali functiones exercuisse, nisi aliter ex dispensationis beneficio illi sit indulgendum. Districtiùs item examinetur, num sciat de Sacramentorum doctrina respondere, Canonem item Missæ, Sacerdotalium

ve-

vestium, & similium mysteria explicare.

Dec. 15. Dimissorijs antiquis nemo vtat. Ordinati vero dent nostro Notario nomina, Bullasq. ostēdant.

QVi dimissoriales litteras à nobis obtinuerit, vt à quocunque Reuerendissimo Antistite possit sacris ordinibus initiari; si illis temporibus, vel propter suam incuriam, vel alia de causa non fuerit illis initiatus, non audeat cum ijsdem dimissorijs ad eundem effectum è Diœcesi nostra aliàs exire, nisi alijs obtentis. Postquam verò susceptis ordinibus domum fuerit reuersus, statim nostræ Curiæ Notarium teneatur adire, vt ab eo in libro ad id deputato notentur nomina, ipsius ordinati, Reuerendissimi Episcopi ordinātis, & loci, in quo fuit ordinatus. Cui etiam teneatur ostendere litteras testimoniales, manu Reuerendissimi Episcopi ordinantis subscriptas. Pro ea verò adnotatione nihil possit Notarius nostræ Curiæ ab illis exigere.

Dec. 16. De Exorcistarū ministerio exercendo.

POrrò licet in Exorcistatus ordine exorcizādi potestas singulis tribuatur; ad euitanda tamen plurima, quæ Christianam pietatem, ac religionem non decent; exequutionem talis facultatis vnicuique absque nostra licentia in scripto prohibemus. Illa verò à nobis data, infrascripta seruentur. Primò, facto diligenti examine vitæ, ac morum Energumeni exorcizandi, an morbo potiùs aliquo vexetur medicus consulatur. Tum verò, dum munus hoc, charitatis exigente necessitate, obibit, id in templo faciat, nō alibi. Non coram multitudine, sed solùm præsentibus grauibus, & honestis viris, vno saltem, aut altero secum ecclesiastico adhibito. Quòd si exorcizetur fœmina, placeat coram parētibus, & cognatis ipsius fieri. Semper autem exorcizās se peccatorum expiatione, & sacræ communio-

nis robore præmuniat, cum sibi non sit colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & Potestates tenebrarum; Quod idē, vt exorcizandus faciat, omninò curet. Cui etiā præcipiat, vt precibus incumbat, supplicationes, si fieri poterit, instituat, Ecclesias frequentet, Sanctorum reliquias piè veneretur, Christi Domini cruciatus crebra cogitatione complectatur. Dum verò fœminas exorcizat, manus supra illas nec indecorè, nec sine maxima honestate admoueat, nec aliquod etiam faciat, quod officij, & cælestis illius potestatis minuat dignitatem.

De Matrimonio. Cap. VIII.

Tertul. lib. 4. 3. Marcia. c. 31

Greg. hom. 36. in Euang.

COenam verò magnā fecit Deus, dum æternæ vitæ saturitatem præparauit; post quam in sempiterno illo die, nullum aliud restabit conuiuium expetēdum; omnis enim generis epulæ magnis illis Cæli Principibus exhibebuntur, cum lumen gloriæ intuentium præbebit intellectui, vt, & Deū ipsum, cęlestia fercula, ac cibos gustent omni suauitate dulciores. In qua, vt Electorum numero, absoluto, paratæ pro Cōuiuis sedes implerentur multorum propagatione opus fuit. Ideò ergo manu formatoris, introducto primo homine in mundum, bonum non erat, illum esse solū; vnde fecit ei adiutorium simile sibi; Adamo thalami præbendo consortem, quæ filios Dei cultores gigneret, vt impleretur conuiuarū domus. Quod cum videret Adam, os ex ossibus suis, & carnem de carne sua; indissolubilem, perpetuumq; Matrimonij nexum, Diuini spiritus instinctu, pronuntiauit; dicens: *Relinquet homo Patrem, & Ma-*

Gen. 2.

trem

trem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. itaque in Matrimonio non sunt ampliùs duæ, sed vna indissolubilis caro. Sicut enim vna caro semper vna remanet, donec morte interueniente dissoluatur; ita viri, & vxori nexus, donec sola morte diuidatur. Est ergo Matrimonij vinculum diuinum, & à Deo institutum, vt propterea nullius hominis valeat potestate seiungi. Sacramentum itaque hoc magnum est, Christi Sponsi, & Ecclesiæ Sponsæ significans cõiunctionem. Si enim baptismus, quia culpa dimissa ianuæ cælestis aperit fores, si Eucharistia, quia Christum ipsum continet, Sacramenta magna dicuntur; & Matrimonium etiam magnum erit Sacramentum; quia sacræ rei sanctificantis animam est signum, sicut etiam alia Sacramenta: Et hoc insuper peculiariter habet, quia Christi, & Eccesiæ significat coniunctionem. Nulli ergo dubium esse debet, quin per illud gratia cõferatur, cum propterea Paulus dicat, *Mulier saluabitur per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione.* In statu enim coniugij, mulier filios generans, quamuis virginitatem non seruet; si tamen in Matrimonij fidelitate, & coniugij dilectione permanserit, salutem consequetur æternam. Est quidem Virginitas coniugio superior, qua suam etiam sanctissimã Matrem, vt nihil ei ad summam excellẽtiam deesse posßit condecorare voluit, dilectumq; præ ceteris discipulum insignire, vt cælestis Aquila nulla terrestri labe ab altissimo in Cælum volatu retardari posset: Cælestis tamen Sponsus castitatem etiam coniugalem sibi placere, miraculo in nuptijs Canæ Galileæ operato, voluit cõ-

Trid. sess. 4. initio.

Ephes. 5.

D. Tho. super Paul. Ephes. 5.

Thim. 2.

Hieron. ad Eustoch. de custodia Virgin. probare. Non enim est nuptijs detrahere, cum illis Virginitas antefertur. Glorientur,& nuptæ, cum à virginibus sint secundæ. Non tamen concupiscentiæ illecebris attracti, debent coniuges Matrimonio copulari;sed Thobiã imitari: nempè solùm,vt in posteritate nomen Domini benedicatur. Vndè,& Raphael Angelus, cùm eundem iuuenem Thobiam de obseruandis in Matrimonio instrueret; *Tu*,inquit,*cum acceperis eam,ingressus in cubiculum per tres dies, continens esto ab ea, & nihil aliud nisi orationibus vacabis cũ ea; transacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorũ magis, quàm libidine ductus, vt benedictionem in filijs consequaris,illos in via Domini progredi instruendo, vt ab illis nomen Domini exaltetur*. Neque enim felicitatis est filios habere, quod cõmune etiam est auibus, quibus dictum item est; *Crescite, & multiplicamini*; Magis autem est cogitandum, vt filij bonis moribus imbuantur, & quomodo piè,sanctèq; viuant, instruantur. Danda igitur diligentissimè opera est; vt ij qui Matrimonio sunt coniuncti, non Terram solùm, sed Cælum quoque filijs repleant; vt nempè ea educatione filij instruantur, ex qua, & Ecclesia ornamentum,& Cæleste regnũ recipiat incrementum. Non enim solùm ex Matrimonio nascuntur filij, quibus in Orbe hoc peregrè agens Ecclesia conflatur; sed, & illi, quos Deus in Cælestem illam,sempiternamq; gloriam, ab æternitate prædestinauit. Sic Matrimonij dignitatem præ oculis habentes, quos Deus coniungi prædestinauit ab æterno,& in tempore coniunxit, spurcitijs adulteriorũ non coinquinabuntur; sed coniugali fide seruata, de illis dici poterit,

Marginal notes: Thob. 8. (beside "tur. Vndè,& Raphael Angelus"); Gen. 9. (beside "quibus dictum item est")

rit, *quod nuptiæ factæ sunt, & erat Mater Iesu ibi, ad quas vocatus est Iesus, & Discipuli eius.* quibus veræ lætitiæ vinum non deerit, castitas, fides, prolis diligens educatio, pax, amor, concordia. Cōtrà verò, qui carnalem aduocat voluptatem, & dæmonem illius conseruatorem, vinum habebit in aquam conuersum, & adulteria, rixas, odia, domusq; totius semper habebit perturbationem. Audiat Vir, quæ Sapiens est loquutus dum vxori fidem docuit præstare; *Bibe*, inquit ille, *aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui.* Et infra; *Nec sint alieni participes tui. Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adolescentiæ tuæ. Ceruа charissima; & gratissimus hinnulus.* Habens enim vxorem, vti debet vase suo in sanctificatione; & pudicitia, & bibere de fontibus suis, nec quærere cisternas Luparū dissipatas, quę purissimas aquas pudicitiæ continere non valent. *Videant*, vt cum Chrysostomo illos alloquar, *quem Sponsus, quā Sponsa adumbret; Ille enim Christum, hæc Ecclesiam significat*, iuxta illud Pauli; *despondi vos vni Viro, virginem castam exhibere Christo.* Et sic Spōsus Christum imitetur, Sponsa verò Ecclesiā; Sic vir diliget vxorem suam, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea. Mulieres verò Viris suis erunt subditæ, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris sicut Christus caput est Ecclesiæ; Et sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita mulieres Viris suis; Quibus verbis proponit Apostolus Viris, illius amoris debere esse imitatores, quo Christus Sponsam suam Ecclesiam complectitur; Vxorem verò illius obedientiæ sectatricem; quam suo Sponso Christo semper præstat Ecclesia. Vndè abundabit vinum bo-

Ioan. 2.

Chrys. hom. 12 ad Coloss.

2. Cor. 11.

Ephes. 5.

bonum, & vsque ad vltimum seruabitur, nec deficiet, sicut in nuptijs Adæ, atque Euæ defecit; vndè defecit lætitia, defecere tot, tantaq; bona. Adhæreat ergo vir vxori suæ, & vxor viro suo amore, pacisq; glutino adhereat; Non diuidātur discordia, non elongentur infidelitate, non separentur iurgijs: Indigni enim sunt coniugijs, qui immiscentur iurgijs. Nuptias ineant illas, quas Christus sanctificauit, non illas, quas carnalis sensus concupiuit; ne ad Cælestem Cœnam vocati, dicant; vxorem [voluptatem] duxi, & ideò non possum venire.

Dec. 1. Bona Matrimonij Fides, proles, & Sacramentum.

STudeant ergo Parochi, tria illa à Sanctis Patribus numerata bona, sæpiùs coniugatis inculcare; quæ sunt *Sacramentum, fides, proles*. In Sacramento enim attenditur, vt coniugium nunquā separetur, quemadmodum ab Ecclesia nunquam separatur Christus. Quæ enim sub viro est mulier, illo viuente alligata est legi, illo mortuo ab ipsius lege soluta. In fide autem attenditur, ne propter cōiugale vinculū cum alio concūbatur, qui enim vxorem habet, vase suo vti debet in sanctificationem. In prole verò attenditur, vt benignè suscipiatur, amanter nutriatur, religiosè educetur.

Aug. 9 de Gen. ad litt. c. 7.
Isid. 2. de Ecclesiast. Offic. cap 19.
Rom. 7.
Hieronym. ad Gaudent.

Dec. 2. De libertate consensus, per Parochos docenda.

ITem Parochorum munus erit parentes docere, liberos debere esse Matrimoniales consensus; secus enim semper exitus inhonesti, turpesq; solent inde peroriri: Item ne minores natu solutos esse in carnalibus voluptatibus permittant; neue solo primogenito dotato alios à Matrimonijs abstinere cogant. Filios verò moneant, vt absque parentum consensu, atque venia petita, matrimonia ne ineant; non quòd renitentibus, inconsultisque parentibus, factum coniugij fœdus sit in-

Trid. sess. 24. de refor. Matr. cap. 1.

uali-

ualidum,& minùs firmum; sed quòd paterno obedientiæ,ac reuerentiæ officio sit præsertim in hoc actu satisfaciendum; vt habita parentum benedictione, illam etiam Deus desuper largiatur.

Dec. 3. De vxore,proprio iudicio nõ dimittẽda.

QVòd si aliquem fortè deprehenderint, qui nulla habita matrimonialis legis ratione, temerè audeat à matrimoniali domicilio, vel thoro discedere; vel, non grauibus vrgentibus causis, Superiorum iudicio maturè consideratis, & examinandis,de discessu cogitare: seuerè eum, prudenterq; moneãt, quàm grauiter ille, non solũ contra coniugem, sed contra Christũ ipsum peccet, dum vinculum illud, quod perpetuum ipsius Christi cum Ecclesia nexum designat, si non dissoluere (quod vtique non potest) saltem tentat aliquo pacto frangere. Quòd si hoc non posse se, per se ipsos existiment, moneant, vt viros aliquos doctrina, ac prudentia illustres adeañt, & nos quamprimùm de hoc commonefaciant.

Dec. 4. Delatio impedimentorum suspendit denunciationes.

POst denuntiationes factas in Ecclesia de Matrimonio contrahẽdo, iuxta Sac. Conc. Trid. Decretũ, in alia [a] Casinensi Synodo insinuatum, cuius iterum decreta omnia hic innouamus, & iterum, quatenùs opus est, sancimus; Præcipimus, vt si quod impedimentum fuerit denuntiatum, etiam si falsum præsumatur, non posint coniuges ad alias denuntiationes faciendas iterum se referre; sed statim fiat noster Vicarius Generalis certior, vt coram ipso, vel alio de ipsius commissione, fiant probationes; sit ne falsò, vel malitiosè, non verè impedimentum illud obiectum. Quòd si hoc accidat post primam tantùm monitionem, non vlteriùs ad alias faciendas per Parochũ procedatur; sub pœna suspensionis. Quòd si quis malitio-

a Fol. 132.

Act. Ecc. Med. part. 2. Syn. 3. dec. 34.

litiosè impedimentum aliquod attulerit; præter alias Iuris pœnas, excommunicatione etiam afficiatur.

Dec. 5. De antiquatis denũtiationibus repetẽdis. Et de secundis nuptijs.

DEnuntiationibus iuxta præscriptũ Sac. Conc. Trid. expletis, si duorum mensium spatium elapsum fuerit intra quod Matrimonium nõ fuerit contractum, iterum fiant denuntiationes ab eodem Sacro Cõcilio præscriptę; nisi aliter à nobis fuerit concessum. Viduas autem ad secundas nuptias trãsire non permittat Parochus, nisi constito coram nobis, vel nostro Generali Vicario de obitu prioris coniugis; Idq; præsertim est seruandum de ijs, quorum coniuges extra nostram Diœcesim sunt defuncti; In quibus fiat valdè diligens inquisitio.

Dec. 6. De copula nõ anticipanda.

QVia verò non destitit vnquàm incentor peccati diabolus carnis illecebris nouos fomites subministrare, & eò versutię peruenit, vt in eodẽ illo Sacramento, quod ad incentiua carnis extinguendas est institutum, noua carnis incendia reperierit; efficiendo, vt sub spe futuri Matrimonij, sponsis antè cohabitantibus, facilis esset in turpem aliquem errorem lapsus: Huic malo, quantum in nobis est, per Dei gratiam obuiã ire volentes; sub pœna solutionis librarũ decẽ ceræ laboratæ, & excommunicationis latæ sententię, nobis, & nostro Generali Vicario reseruatę, Sponsis de futuro inhibemus; vt non audeant copulam carnalẽ habere, antequàm Matrimonium per verba de præsenti in facie Ecclesiæ fuerit celebratum. Euitent ergo cohabitationem, & mutua secreta colloquia, quæ facilè carni subministrant incendia.

Trid. sess. 24. de ref. 1. 1.

An-

ANtequam Matrimonium celebret Parochus; eos, qui contrahere volunt, moneat; quod si ipsi scienter in gradu affinitatis, vel consanguinitatis prohibito audeant contrahere, excommunicationis latæ sentẽtiæ pœnam ipso facto incurrunt; & dispensationis consequendę, in posterum contrahendi, omnẽ spem tolli. Quod in ijs multò magis habet locum, qui non tantum Matrimoniũ contrahere, sed etiam consummare ausi fuerint. Cui etiam pœnæ subijciuntur, qui licet ignoranter id fecerint solemnitates tamen requisitas in contrahẽdo Matrimonio neglexerit: Nõ enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cuius salubria præcepta temerè contempsit.

Dec. 7. De gradibus prohibitis per Parochum aduertendis.

Clem. 1. de consang. & aff.

Trid. sess. 24. de ref. cap. 5.

Cap. fin. de imm. Eccl.

NOnnisi grauissima vrgente causa licentia cõcedatur contrahendi Matrimonium in priuatis domibus; Cùm enim Sacramentorum proprius locus præcisè sit Ecclesia, non alibi quàm in ea, illud conuenit celebrare. Nec contrahatur Matrimonium eo ipso die, quo vltima denuntiatio facta fuerit, sine nostra licentia, vel nisi in secunda denuntiatione Parochus saltem populum admonuerit, eo ipso die tertiæ denũtiationis matrimonium esse contrahendum; Quod nullo pacto erit celebrandum inter virum, & mulierem, qui vel quæ cum alio contraxerit; quàmuis coniugem absentem, vita functum asserat; nisi causa in nostra Curia maturè cognita, ac Iuris dispositione perspecta.

Dec. 8. In priuata domo non cõtrahatur, sed in Ecclesia, & de denũtiationibus ritè absoluendis.

QVoniam populares facilè solent decipi, cùm mandatum à Sede Apostolica de dispẽsando in aliquo Matrimonij impedimẽto obtinuerint, quòd statim, ac Breue Apostolicum ad illos fuerit delatum, putant sibi ipso facto dispensatum; ideò præ-

Dec. 9. De vsu obtẽtæ dispẽsationis.

præcipimus Parochis, vt hoc illos doceant; non posse vllo pacto côiuges conuenire, donec à nobis litteræ Apostolicæ fuerint perspectæ; vt iuxta facultatẽ nobis à sancta Sede traditã, posimus de supplicatis iudicare. Quocircà moneant etiam, vt in supplicibus libellis, veritatem fideliter explicent; Ij enim qui prædicta non obseruauerint, nouerint, dispensationem in vetitis coniugijs obtentam, nullatenus sibi suffragaturam, nouis litteris, super eodem, non obtentis.

Dec. 10. Sponsalia non debent, etiam iustis de causis, proprio iudicio dissolui.

Nau. in summ. cap. 22. nu. 25.

Tol. l. 7. c. 17.

Trid. sess. 25. can. 12.

Cap. accedentibus de excess. Prælat.

PRomissio mutua futuri Matrimonij, signo aliquo sensibili expressa, quæ *Sponsalia* dicuntur, quàmuis multis superuenientibus causis dissolui posit, ex quibus aliquæ notæ sunt per se; vt ingressus religionis; Susceptio Ordinis maioris; & aliæ; Quia tamen aliæ sunt, quæ non ita certæ solent esse, & euidentes, vt si dissoluatur absq; Iudicis authoritate, multa soleant scandala oriri; Ideò ad illa euitanda, præcipimus Parochis, sub pœna aureorum viginti, quòd non audeant Matrimonia celebrare inter eos, quorũ alter, vel vterque cum alijs Sponsalia contraxerit, absque nostræ Curiæ Decreto; causa priùs in ea bene cognita, atque perspecta; Nam causæ Matrimoniales ad Iudicis Ecclesiastici forum spectant.

Dec. 11. De Nuptijs benedicendis, & pœna contemnentium.

POst Matrimoniũ contractum, dum Parochus Sponsis benedicit, seruet ea, quæ in Rituali Romano præcipiuntur; & Missam pro illis dicat, solùm illam, quæ eodem in Rituali pro Sponso, & Sponsa habetur, nec quicquam aliud super illis legat; etiamsi sanctitatem videatur prima facie redolere, vt superstitiones euitentur. Quod si benedicendi erunt die Dominica, aut impedita festo duplici, Missa dicatur de Dominica, vel de festo,

festo, cum cõmemoratione quæ habetur in Missa pro sponsis; Benedictio verò, quæ post orationem Dominicam sponsis datur, non detur in secundis nuptijs. Poterit tamen benedici virgo aliàs non benedicta, etiam si bigamo nubat. Quam benedictionem, qui aliàs non habuerit, teneatur recipere antequàm matrimoniũ consũmetur. Quòd si intra mensem post contractum matrimonium, illam recipere neglexerint sponsi, puniendi erunt, tanquam Ecclesiasticorum rituum, ac ceremoniarum contemptores.

Dec. 12. Ad Matrimonia cogentes, sunt excommunicati.

EXcommunicationis latæ sententiæ gladio feriendos ducimus, etiam parentes, aliosq; cuiuscunque status, vel conditionis existant, qui filios, vel alios quoscunque quouis modo, directè, vel indirectè còegerint, quominus liberè matrimonia contrahant; sicut etiam Sacrum Trid. Concil. anathematis pœnam in Magistratus intulit, qui subditos, vel alios ad similiter contrahẽdum còegerint; cùm nimis temerarium sit, ac nefarium, Matrimonij libertatem violare. Idq; maximè propter præsump tionem ne consensus desit, & propter vinculi perpetuitatem, & indissolubilitatem.

Trid. sess. 24. cap. 9.
Cap. fin. 31. q. 1.

Dec. 13. De obseruãdis tẽporibus prohibitis nuptiarum.

CVm Sacrum Conc. Trid. antiquas solemnium nuptiarum celebrationes diligenter ab omnibus præceperit obseruari, ab Aduentu Domini nostri Iesu Christi, vsque ad diem Epiphaniæ; & à feria IIII. Cinerũm, vsque octauã ad Paschæ inclusiuè; quibus temporibus solennitates, conuiuia, traductio ad domum, & carnalis consummatio coniugalis copulæ prohibentur; nos insuper, vt omnis varietas, & dubitatio recedat, mandamus; vt non celebrentur nisi post diluculum eius

Cõc. Leod. c. 52 c. non oportet 33. q. 4.

diei, qui consequitur vltimũ diem temporis, quo nuptiarum celebritas iuxta illud decretum prohibetur; aliàs arbitrio nostro erunt in pœnā per aliquod tempus separandi.

Dec. 14. Aduenæ, Fidē quòd cōiuges sint, ostēdant.

SI quis girouagus, mulierem secum huc adduxerit, quam vxorem suam esse affirmet; si de illorum statu meritò dubitari contigerit, vt concubina, probabili aliqua coniectura, possit iudicari; Parochus, in cuius Parochia commorantur, legitimi Matrimonij fidem exposcat; quam teneantur illi ostendere; aliàs tanquam de concubinarijs erit de illis præsumendum.

Dec. 15. Aduersus concubinarios cōminatio.

Trid. sess. 24. de ref. cap. 8.

Concil. Rom. sub Nic. 1. Later. sub Leone X. sess. 9. Tol. 1. cap. 17.

PArochis itē iniūgimus, cōcubinarios (præsertim quando aliòqui coniugati fuerint) vt tàm grauis, tāque scandalosi sceleris cōcubinatus eos commonefaciant. Si enim graue peccatum est, homines solutos, concubinas habere; multò grauius erit, cum tanti Sacramenti contemptu, eos qui matrimonio sunt coniuncti, in hoc damnationis statu viuere; Et audere, non solùm cum grauissimo populi scandalo, sed etiam cum tot rixarum, & odij materia illas domi, etiam cum vxoribus, & quod peius est cum filiabus alere, & retinere. Tales ergo moneant districtiùs à nobis esse puniendos, & in omnibus cum magna seueritate exequenda esse, quæcūque à Sacris Canonibus, & Sacrosancto Conc. Trid. contra similes hominum pestes obseruanda præscribuntur; Nec solùm contra ipsos, sed etiam contra concubinas, eadem seueritate, erit procedendum.

Arelat. 2. c. 3.

Dec. 16. Quid Parochi de matrimonio docere debeāt

Sess. 24.

SVper omnia autem, Parochis præcipimus, vt diligenter studeant ijs, quæ docēda sunt, circa hoc Sacramentum, iuxta Conc. Trid. sanctiones; Vt, Quòd Sacramentum hoc sit à Christo institutum,

tum, & gratiam conferat, ac propterea veteribus connubijs præstet; Debere fieri libero consensu; Non clandestinè, sed in facie Ecclesiæ, cum denuntiationibus faciendis in ijsdem Ecclesijs, cum peccatorum confessione, & Eucharistiæ perceptione, seruatis laudabilibus cõsuetudinibus Prouinciæ, vel Diœcesis; eiectis tamen abusibus:

Quæ vincula illud impediant; Quando non valeat; Quomodo dirimatur; Quando sit separabile, quoad thorum; Quibus cerçmonijs sit celebrandũ, & quãdo solemniter fieri prohibeatur. Ibid. cap. 2. 3. 4. & 5.

In quibus omnibus non solum doctrina Concilij Tridẽtini, verùm etiã Cathechismi Romani, à Parochis est ita diligenter exponẽda, vt in omnibus ostendant se esse illos, quos Deus destinauit idoneos Ministros noui Testamenti. Sess. 24.



His ergo, quæ à nobis sancita sunt, circà Sacramentorum materiam, & administrationem, diligenter seruatis, optimè speramus in Domino purganda esse vasa Animarum, in quibus sanctè, ac purè recipiatur aqua, & sanguis, qui de latere Christi in Cruce perfosi, dimanauit; Vt adim-

 pleta

pleta in omnibus gratia, Pax ipsius Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras, in CHRISTO IESV Domino Nostro.

LAVS DEO.

Præco verò, sub præscriptis pœnis de more, in sequentem diem Sessionem Tertiam indixit, in eadem Ecclesia celebrandam.

Ac benedictione Reuerendissimi obtenta in pace diuerterunt.

ORATIO

In Tertia Synodali Sessione, in eadem Ecclesia Sancti Germani habita.



TINAM Præsul optimè, & Reuerendissime, eximia illa Christianarum virtutum maiestas, de nostris saltem Sacerdotum, ac Clericorum voluntatibus triumpharet, atque de nostro in Mundi illecebras affectu, penè laqueis irretito, victoriam reportaret; Optimum illum Christianæ Reipublicæ statum, Ecclesiæ, ac Populi in viam salutis dirigendi, tranquillitatem, minimè desideraremus; Atque sicut effrænis illa, ac turbida multitudo, ad bella, ad rixas, ad intestina odia tàm facile non consurgeret: ita mortalem nos quoque vitam, ad multorum vtilitatem, ad mutua commoda mixti degentes, suauisonam illam vocem, qua in pacifico Christi aduentu totum Orbẽ in pace componẽdum, præuidens Isaias exultabat, audiremus; *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Non leuabit gens, contra gentem gladium, ad prælium vltra non exercebuntur.* At quoniam tam præcipiti mersa profundo mens hebet nostra; atque illo, quo á superna luce illuminamur, lumine relicto, terrenis multoties flatibus hinc inde abacti, in immensum penè crescente noxiarum rerum cura, decliui intellectus vultu, stolidam cogimur cernere terram, & post tenebras illas externas abire: Quid erit nobis reliquum, quàm vt iure optimo Vates idem, & Euangelista conqueratur; *Omne caput languidum, & omne cor merens; à planta pedis vsque ad verticem, non est in eo sanitas. Vulnus, & liuor, & plaga tumens, non est circumligata medicamine, neque fota oleo.* Hoc igitur commiseratus Magnus ille, & mitissimus qui de Cælo venit, Medicus, ea docuit Patres nostros tàm graui vulneri adhibenda esse remedia, quorum vis ad ægrotas partes longè, lateq. permearet.

En quot ęrumnę nos agitant. En quã acriter singulis horæ momẽtis non solùm á Tartareis hostibus, verùm ab infensissimis hæreticorum telis, circumobsessa penè, Catholica religio dilaniatur. Si ipsa ergò á Sacerdotum, qui illi præsunt virtutibus non continuò confirmetur, si Cleri disciplina, vitæ, ac morum honestate non roboraretur; dubio procul, ab aduersarijs oppressa deficeret, & expugnata (quod illi præpotens manus Dei non permittet) contabesceret. Quali ergò exultatione erit nobis hodie gaudendum, viri religiosi, quod in Synodalibus hisce comitijs, tam præsens vobis remedium sit afferendum, quod

magnis hisce Reipublicæ Christianæ periculis (quantum nostræ sunt partes) medicinam faciat singularem?

Hoc profectò est vnicum illud perfugium, & veluti sacra anchora, ad quam in hoc iactationum Salo, periculosissimis illis nascentis Ecclesiæ temporibus, Sancti Patres pro vniuersali Ecclesia recurrerunt. Hac ope Arrianam illam pestilentissimam sectam, toto penè Terrarum Orbe diffusam, tam inueteratam, tot, tantisq. potentissimorum Principum studijs propagatam, opibus, & armis propugnatam; funditus euerterunt. Hac Macedonij retuderunt insaniam, hac Nestorij, Eutichetis, atq; aliorum innumerabiles hæreses sustulerunt. Hoc antidoto obuallati Catholici, Lutheranorum frænesim; quæ epidimialis quasi his temporibus effecta videbatur; tanquam grassantem pestem euitarunt. Hac veluti aqua collustrati, Caluinistarum, Anabaptistarum, & aliorum, qui honestè nominari non possunt, non passi sunt spurcitie collutulari. At quid mirum? si hæc est via illa, qua sępe Sacerdotum, & Populi vitam, moresq. repurgantes; illos tam facili negotio in melius reuocarunt? Hac quippe seditionibus ac discordijs sæpè agitatam Ecclesiam in quietum, ac tranquillum statum redegerunt.

Liquidò ergò constet, ex perturbata ecclesiastica disciplina, omnia in Christianam Remp. mala emanare, ex illa instaurata, omnia in ipsam cælestia diffluere bona, omnia collapsa restaurari.

An oratoriè hæc, vel poeticè à me dici putatis, vt fucatè potiùs, quàm verè hęc proferri existimetis? Animis tamen adestem rem vobis proponam, vos eam vestri iudicij lance penditote. In diuinam sortem singulariter Sacerdotes vocauit, tanquam animarum Pastores ille, qui solus veraciter dicere potuit; *Ego sum Pastor bonus*; cum animam suam pro ouibus suis ponere non fit grauatus. Illis ergò oues suas per montes ad æterna pascua ducentes, ad metā illā vltimi supernaturalis boni tradidit dirigendas. Nā hic solùm vester finis, Sacerdotes. Præestis quidē Christi ouibus, sed ipsarum ouium causa; vos illis, non illas vobis tradidit Deus. Vos enim pari ratione estis sydera, splendorem quidem dignitatis habentia; sed vt mortalium vsibus deseruiatis. Ergò arcta quadam catena, cum commisso vobis grege estis deuincti, vt à vobis, tanquam à capite, bona omnia in mysticum hoc corpus totum diffundantur. At quis non videt, in capite sanam vel insanam mentem esse non posse, nisi vt pariter corporis vigeant, vel langueant functiones? Nō ergo in hac societate potestis vos improsperè, vel infaustè agere; nisi vobiscum ruat etiam Populus, ac labatur. Ad virtutes enim præistis? Sequitur. Per vitiorum ambages claudicatis? Inclinat. Bene, beateq. agitis? Eccum illum iterum effło-

efflorefcentem. Ponite vobis ante oculos florentem ætate adolefcentulum, maximè egregia forma, validis maximè viribus, acutioribus corripi capitis doloribus; continuò pubefcens ille virentis ætatis flos, lepos, qui in vultu colludebat, egregius formæ nitor; ob morbi barbariem, fquallore, ac fordibus obfolefcit; & illa oculorum vis, quæ læto animo cum florente maximè capite corridebat, ad capitis miferias, colliquanti nunc fefe animo, ipfa quoque colliquefcit; & ita omnia faftidiens, reijcit; vt ipfe velit inuitus, afpernetur fimul, & appetat vniuerfa, Haud aliter profectò videas, corpus hoc Ecclefiæ myfticum efflorere. Si enim caput ipfius erit aurum optimum, fi huius capitis comæ, cogitationes nempe, erunt ad Deum, non fecus ac elatæ palmarum, tendentes; fi oculi ipfius ficut columbæ erunt nitidi, & iuxta Sacramentorum fluenta pleniffima refideant; fi labijs doceat pęnitentiæ myrrham primam diftillare: quid reliquum corporis exiftimamus futurum? nifi quod manus Populorum plenè fint hyacinthis rectarum operationum; venter non lafciuijs diffluat, fed fit eburneus, cæleftibus diftinctus faphiris; contra diaboli, & mundi infultus robore accingatur, & crura illius columnæ fint marmoreæ; fpecies eius vt Libani; Electum vt cedris, totumq. denique defiderabile. Et quid mirum, cum non poffit nifi aureos, ac pretiofos influxus, caput aureum in fua membra diffluere? At contra; quid fi caput cœno erit peccatorum inuolutum? Luteum ftatim effici videas corpus, cuius vires ftatim infractæ langueant; & dum vitalitatem ab aureo capite recipiēs, omnia virtuti fuæ prona, & fubdita exiftimabat; iam nec pedibus ingredi, neque poplitibus afflicta membra excipere fe poffe confidit; fi in cubitum leuare fe ipfum ad Deum exiliens tentet, iam linqui animo cernas, & ad expirantis modum, terreum illud, ac fœtidum caput demittere, vt ad ipfius graueolentiam totum propemodum corpus vitalis calor reliquiffe videatur. Vos nunc appello Lutheri affeclas, qui tanquam putrida membra, ab aureo capite abfciffa, fanaticum illum apoftatã vobis caput efformaftis. Et quid aliud poterat, quam in fuamet vifcera defæuire, quàm bellum inferre pietati, quàm iubere quietem, ac tranquillitatem à confcientijs veftris exulare? Atque vt ad caduca etiam, & fragilia, quibus adeò allecti fuiftis, animum conuertamus, qui priùs Martis pulli dicebamini, atque animo Leonino; nunc maieftatem perdidiftis imperij, vt non nifi ad luxum, & vitia furgatis; & medicinam afpernati, delegit veftrum vnufquifque in Gomorra commorari, dum obedientiæ protulit rebellionem; elegit inter querceta Bafan cum immunda fua porca quifque fubbare potiùs, quàm inter lilia pafcere, atque in caftimoniæ lectulo delitiari.

Cum igitur hæc penè ob oculos fint propofita, quanta facris Patri-

bus cura, vt Dominicus grex seruetur, sit incumbendum ; facilè quiuis intelliget. Natura enim ita comparatum est, vt quales in Republica Principes sunt, tales reliqui soleant esse ciues; quandoquidem minùs sapientes, plurimùm se assecutos arbitrantur, si proximè ad vestigia accedant sapientiorum. Exanthalari quidem vobis necessè erit summos, ac penè improbos labores; Non inficior; Verùm in his superandis virtutis robore, quæ solet ærumnarum stimulis excitari, eritis firmiores. Magna quippè negotia, magnos animos desiderant, & magnos animos, laboris exagerat magnitudo. Quid enim, tranquilla hæc Ecclesiasticorum Pastorum, boni non affert sollicitudo? Quale nō habet sanctum otium Sacerdotalis vitæ negotium? vt iure optimo possint de se illud ipsi iactare, tunc magis se esse otiosos, cum magis deprehenduntur laboriosi. Sed frustrà dicam apud expertos; frustrà apud inexpertos. Illi probè norunt, hi non credunt. Quid enim, inquiunt, suauis prodire vnquam potuit à salebroso illo opere, cuius labor, cuius studium inamœnum, nulla dulcedine allicere, nulloq. commodo allectos animos potest detinere? O stolidos, ò vanos. Cum rerum dignitate, ac præstantia delitias quærunt; ac tanquam infructuosam vitam illam damnant, quia sensus non solent parere voluptates. Ergòne Terram illam, quæ argentum, quæ aurum, quæ gemmas gignit pretiosas, quia herbas inutiles non profert, sterilem dixerimus? Sterilis profectò est terra illa, quam Sacerdotes calcant, si ad carnis voluptates, si ad Mundi illecebras, si ad externa hæc, & vilia oculos coniecerimus; Non ita tamen, si ad virtutes, quarum fructus, fructus sunt honoris, & honestatis. Verùm ad circumfusa illa, & vana abeunti quis finis? Iactatur, & natat semper inter cupidinum vanos fluctus: Non enim diuinæ rationis soliditas, sed fluida Mundi illa inserit opinio, cui insitum variare, cuius finis vnum, pœnitere. Vidi multoties innatantes fluminibus resculas quasdam; & dum mirarer quàm temerè in hanc, illamq. partem impingerent, tandem animo subijt, tales eos esse, qui mundanarum rerum cupidinibus hinc inde reuoluuntur. Hoc volunt, hoc idem nolunt; hoc hodie spernunt, cras appetunt. Hinc perpes illud tædium, & veluti nausea rerum omnium: damnant multoties sua vota, & quædam tàm libenter hodie deserunt, quàm anteà hianti perquirebant auiditate. Et quis non de Lachesi sua conqueritur? Abeant ergò mundanæ istæ de Sacerdotum cordibus cogitationes; Agnoscite viri Reuerendi, quàm amplum, quàm illustre sit munus vestrum, quod sustinetis. Si enim magnum quid est inter homines, vnum præesse multis; leges, & iussa ponere; maria, terras, pacem, bella moderari; vestra tamen dignitas diuinitas quædam videtur, & est profectò, si salutariter, atque ex vsu publico administretur. Expende, inquit, Chrysostomus, regiæ, & Sacer-

cer-

cerdotalis dignitatis modum, & videbis Sacerdotem multò sublimiùs Rege præsidentem. Regius quidem thronus, ob aurum quo est circumcinctus, ob affixas gemmas videtur nobis admirandus; rerum tamen terrenarum sortitus tantummodò administrationem, vltrà mundanam potestatem nihil habet prætereà authoritatis. Sacerdotis tamen thronus in cælo est collocatus, de cælestibus negotijs pronuntiandi habet facultatem. Hæc enim de supernis descendit, & eius vinculum animam contingit, & ad cælos vsque procedit. Quomodò ergò Sacerdotes in diuinum consortium assumpti, thesaurum vestrum de terrenis collectum, inter terrena latibula defigatis? Vulgaria hæc, vulgares homines delectent: vos vnà cum Angelicis viris ad sublimia, & cælestia contendite. In Cælis vestros thesaurizate thesauros, vbi neque ærugo, neque tinea erit vnquam demolitura. Abeant in malam crucem filii Heli, filij Belial, qui non Domino, sed sibi ministrantes, fuscinulam tridentem, diuitiarum nempè, honoris, & voluptatis, in mundanarum rerum ollam immittunt; dum illarum cupiditate flagrantes, facti sunt Dominum nescientes, & proprium officium ad Populum ignorantes. Vos vnà cum Petro dicite Christo; *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Fungamini vestro Sacerdotio cũ Zaccharia ante Dominum. Gestetis in capite nomen Dei tetragrammaton; prouidentes Dominum in conspectu vestro semper. Non ex Sacerdotio humana tantum fulcimenta requirentes, aliter enim non ante Deum Sacerdotio fungemini; sed ante id, quod ex humano redundat affectu; Quibus, vt inquit, Ambrosius, vtiliùs esset, Ligonibus, quàm Sacerdotio captare stipendium. Pascendæ sunt à vobis oues Christi, non vt tondeantur, vel mulgeantur; sed tõdendæ, & mulgendæ, vt pascantur. Verus quippè Sacerdos non ideò Populo debet prædicare, vt mercedem recipiat; sed ideò mercedem recipere, vt prædicare subsistat. Non alligandum vtique, ait Paulus, os boui, modo tamen triturando laboret.

Audiant ventris mancipia, qui manducant, & non laborant; Audiant (inquam) illum magnum Ecclesiæ Sacerdotem Gregorium; *Quid nos ò Pastores agimus, qui, & mercedem consequimur, & tamen operarij nequaquam sumus? Fructus quippè sanctæ Ecclesiæ in stipendio quotidiano excipimus, & tamen pro æterna Ecclesia in prædicatione minimè laboramus. Pensemus, cuius damnationis sit, sine labore, laboris mercedem recipere. Ecce ex oblationibus fidelium viuimus, sed nunquid pro animabus fidelium laboramus? Illa in stipendium nostrum sumimus, quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt; nec tamen contra peccata eadem, vel orationis studio, vel prædicationis insudamus affectu.*

Ne igitur illa vos iusti Iudicis coarctet sententia; Væ Pastoribus, qui gregè relicto se ipsos pascebant. Incumbite per Deum immortalem,

talem, ne per vestram socordiam, quicquam de Dominico grege dispereat; ne de vestris manibus ipsius sanguis exquiratur. Agite obsecro, & ad tam grande decus obtinendum, in hac clericalis disciplinæ instauratione, oblatam occasionem de manibus vestris elabi non patiamini. Sic enim illud Ecclesiæ decus, quod importunissimorum Ecclesiæ hostium violentia exaruit, reuirescet; & quem decerpere existimat diabolus Ecclesiæ Catholicæ florem, in ipsius contumeliam, haud minùs nitidiorem conspiciemus erumpere. Sic salus consurget, eo fælicior, quò inuito humani generis hoste, & penè consenescentibus vitiorum importunitate, viribus adolescet. Hæc, hæc profectò laurea viri, magna veneratione digni, quam vestris laboribus nitidissimis contextam virtutum floribus, conficietis; nulla vnquam temporum vetustate marcescet. Non emorietur fascium vestrorum nitor; & illius laureæ viriditas, quam ex aliorum salute, & vita, vestro capiti concinnabitis, nullas vnquam mortis iniurias pertimescet. Viuet profectò, viuet vobis, quam viuere alios vitam voluistis; atque eò illustrior vobis viuet, quò gloriosiùs vita viuere est, quam alios viuere damus, quàm eadem alteriùs beneficio accepta gloriari.

Dixi.



SYNODI

SYNODI CASINENSIS
SESSIO TERTIA.


De ministerio, vita, & honestate Clericorum, ac Fidelis Populi reformatione.

In Ciuitate S. Germani celebrata die 23. Martij.

SIMPLICIVS CAFFARELLVS *Sacri Monasterij Casinensis humilis Abbas, Ciuitatis S. Germani, & Castrorum, aliarumq. Terrarum, & locorum Dominus, & Ordinarius.*

VNIVERSO CLERO, ET POPVLO NOBIS SVBIECTO, *salutem in Domino, qui est omnium vera salus.*





IDISTIS ergò dilectissimi, quali nos Charitate mitissimus Deus fuerit complexus, vt per Sacramentorũ gratiã, in adoptionem filiorum perfectam designati, filij ipsius nominaremur, & essemus; hæredes quidem ipsius Dei, cohęredes autem Christi. Quali item dilectione Ecclesiam sibi desponsauerit, mundans eam sanguinis sui lauacro, per Sacramentorum aquæductus in illam deriuato; vt sic ex huius Mundi deserto, super dilectum innixa, ascenderet delitijs affluens. Et quid mirum? Si enim sub arbore malo Eua Mater nostra à serpente corrupta, violataq; est; vt auctrix peccati effecta, virum suum, Patremq; nostrum

ſtrum de terra terrenum, atque in eo nos omnes corruperit, ac violarit. Sic etiam ipſe ſecundus Adam de cælo cæleſtis, ſub arbore crucis nos ſuſcitauit; vt vndè mors in nos miſeros oriebatur, inde etiam, & vita reſurgeret; vt item qui ſerpens in ligno vincebat, in ligno quoque per Chriſtum vinceretur. Hinc ergò talis, tantuſq; erga nos in ipſo excitatus eſt amoris ardor, vt morte ipſa fortior fuerit; vt enim nos viueremus, ipſe mori non dubitauit. Zelus item amoris filius, quo ipſe Eccleſiam ſibi ſemel deſponſatam obſeruauit, inflexibilior ipſo fuit inferno, & ſcintillæ tam violentorum affectuum, inflammatarum inſtar lampadum, vndique de percuſſo ſui corporis ſilice, per tot vulnera fuerunt eiaculatæ, vt nullis afflictionum imbribus obrui, nullis cruciatuũ fluminibus potuerint extingui.

Sed, ò incredibilem vim amoris immenſi; pro tot tantiſq; gratiarum donis nihil aliud à nobis expoſcit, niſi vt ponamus illum, vt ſignaculum
Can. 8. ſuper cor noſtrum, vt ſignaculum ſuper brachium noſtrũ. Nihil enim aliud requirit, quàm vt amor ipſius cor noſtrum impleat, & obſignet; qui tamen priùs per Prophetã, eodem pacto pollicitus fuerat, ſingulari nos amore complexurum; & in
Aggæi. 2. eo fouendo, cuſtodiendoq; curam ſe magnam adhibiturum; cum dixit, *Ponam te quaſi ſignaculũ, quia te elegi.* Hęc contentus tanquam ſignaculum poni ſuper cor noſtrum, flagitat poni etiam, vt ſignaculum ſuper brachium; vt nempè quẽ amorem gerimus in corde; opere, & imitatione exprimamus. Non enim verba, ſed opera ſigna ſunt amoris.

De

De vita, & honestate Clericorum. *Cap. I.*

SI ergò accenditur in nobis per Sacramentorũ gratiam verus Dei amor; verbis etiã, & factis prodamus affectum, qui enim dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Vos præsertim, in diuinam sortem vocati, ij estis, quibus non communi, sed singulari modo dedit Deus filios Dei fieri; vt, & alios vestro pascentes verbo, & exemplo, possetis filios Dei facere. Vos per ordinationis gratiam, quam non alijs, sed vobis tantùm dignatus est elargiri, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati estis, vt placabilem illi hostiam offerentes, eorum etiam, quos vobis commendauit, pacificorum offerretis hostiam filiorum. Propterea quippè ad ipsius, qui pax nostra est, imaginem reformatos, non animum solùm, sed operationes etiã oportet habere conformes; vt, quod ipse vult, velitis; & quod improbat, improbetis. Ipse autem qui donat velle, donabit, & posse; vt operũ ipsius possitis esse cooperatores. Vos posuit Deus, vt lumen essetis mundi; Sic ergo luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & in vobis glorificẽt Patrem vestrum, qui est in Cælis. Ecce non desinũt gregi vestro insidiari lupi rapaces, diabolus nempè, & angeli eius; & hoc innumeris tentationibus laborant, vt homines ad superna nitentes, aut aduersa terreant, aut mundi huius corrumpant prosperitates. Vos autem galeam fidei accipientes, considerate quàm poten-

1. Ioan. 2.

Cap. Cleric. 21. dist.

Trid. sess. 22. c. 1. de ref.

Ioan. 1.

tior

tior sit, qui pro vobis dimicat; Sic omnia poteritis tela nequissimi ignea extinguere. Succingite lumbos vestros baltheo castitatis, præmunite cor loricis sanctarum cogitationum, piorũq; affectuum, brachium scuto rectarũ operationum obsignate; gladiũ verbi Dei ex alia parte habete; Sic nulla aduersum vos poterunt prævalere certamina; Nulli vestrum gregem Infernalium hostium poterunt terrere conflictus. Vestrum est, opus facere Euangelistæ, instare opportunè, importunè, arguere, obsecrare, increpare, in omni patientia, & doctrina; Vitæ vestræ priùs mores, ad exemplum, quòd vobis in Cruce Christi est monstratum, instaurando. Vitam enim Pastorum, & eorum, quos suo gregi præfecit Christus, non solùm sibi prodesse, sed, & alijs etiam vtilem esse debere, atque illis tanquam doctrinam propositam esse, Sãcti Patres docuerunt; quod enim apud illos agi non potest verbis, obtinetur exemplis. Sic digni eritis diuinę cooperatores gratiæ, omne bonum in omnibus operantes; Non enim dormientibus promissum fuit regnum Cælorum, nec otio, desidiaq; torpentibus beatitudo ingeritur æternitatis; Apostolo enim teste, qui Christo compatiuntur, cum Christo etiam conglorificabuntur. Non occupet animum vestrum carnalium rerum affectus; ne temporalia sectantes, tanquã fatui Pastores iudicemini, & amittatis æterna. Cum enim vos cõstituerit Deus, vt sal essetis, quo cęteri condiantur homines, si vos, terreno amore euanescentes, eritis infatuati; quinam erunt homines, per quos à vobis tam grauis error auferatur, cum vos elegerit Deus, per quos errores auferat cęterorum? Cãdidi ergo, & mundi estote,

Rom. 8.

August. lib. 1. de Ser. Domini in Monte. c. 6.

& quæ

& quæ circa vitam, mores, & honestatem vestrā sancientur, diligenter attendite; vt in nullo à diuini amoris vinculis posſitis relaxari; proximi etiam vobis commiſsi copulantes charitatem. Vos enim decet diuinæ aruicultores esse bonitatis; vt quod ipse diligit, diligatis; & quod operatur, operemini. Quamuis etenim Populus, Dei ipsius sit agricultura, ipsius sit ædificatio, & neque qui plantat, neque qui rigat sit aliquid, sed qui incrementum dat Deus; in omnibus tamē exigit vestri ministerij seruitutē; & vos suorum dispensatores vult esse donorum; vt qui peculiariter Dei fertis imaginem, Dei etiam faciatis, & voluntatem. Ne ergo, Diuini immemores pacti, à vestra professione dissentiatis; infrascripta, ab omnibus Clericis inuiolabiliter obseruanda, districtè præcipimus, & mandamus.

1. Cor. 3.

QVoniam ergò Clericos, in Christi sortem assumptos, decet maximè illud, quod Apostolus exigit; nempè, *Induimini Dominum IESVM CHRISTVM*; ideò taliter illos conuenit in habitu, Christianam obseruare modestiam, atque honestatem, vt qui Christo induti, & circundati sunt; illi quoque Christū spectandum extrinsecus proferant. Quocirca sub grauiſsimis pœnis inuiolabiliter exigendis præcipimus, obseruanda esse, quæcunque in alia Casinensi Synodo, circa clericorū vestimēta sunt sancita. Districtè item præcipiētes; ne quis Clericorum, cuiuscunque status, vel conditionis existat, audeat, calceos albos deferre, præterquā si in itinere longiori erit constitutus; Qui non habeant auriculas, vt vocant, nimis apertas. Nec caligas deferant clarioris coloris, quàm sit vio-

Dec. 1. Quod calceos & caligas indecentes, & anulos non gestent.

Rom. 13.

Casin. Synod. sess. 3. c. 3. d. 1.

la-

laceus, sed vel nigras, vel coloris violaceo obscurioris. Quod iddem intelligatur de vestimentis, quæ sub talari tunica deferuntur; quorum, si nigra non fuerint, manicæ discoopertæ non deferantur; sed omninò manicis nigris tunicæ talaris cooperiantur. Quæ omnia non solùm sub amissionis ipsarum rerum pœna, sed etiam sub decem aureorum mulcta præcipiuntur. Et iddem dicimus de ijs, qui nec Doctores sunt, nec in dignitate ecclesiastica constituti, & annulos audent gestare.

Dec. 2. Quòd comam & collaria crispa, & vestem Seminarij nullus vsurpet.

IN habitu ergò decenti semper incedant; comam non nutriant, nec superiùs labium militari modo mistace prominēte ferociat; clericalem tonsuram ordini suo decentem vnusquisque ita ferat, vt conspici commodè possit; nec collaria gerant acu picta, vel crispata; ita vt in omnibus seruentur sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini decreta. Quod si quis prædicta neglexerit, nouerit se grauiter puniendum. Nec tamen propterea volumus, in oppositum vitium Clericos nostros deflectere, vt sordidis, & neglectis vestibus vtantur; hoc enim indecens esset, & ministris Christi minùs conueniens. Sint autem vestes extrinsecæ omnes nigri coloris. Vnde prohibemus Clericis, qui aliquādo in Seminario deguerunt, deferre talarem vestem violacei coloris, quam ferebant, dum in Seminario morabantur, quacunque de causa ex illo exierint.

Sess. 14. cap. 6. de ref.

Dec. 3. Quod luxu, & odoribus non vtantur.

TOrques item, fasciam sericam, vel quicquid aliud simile, quod à collo apparenter pendeat, sub eisdem pœnis prohibemus. Liceat tamen, solùm fasciam nigram deferre, si vrgeat occasio infirmi brachij sustentandi. Pari modo

pro-

prohibemus illis, vti sudariolis, ac vestibus, quæ nimia sint odorum suauitate delibuta; hæc enim si non lasciuiam, saltem redolent leuitatem. Denique in omnibus grauitatem, & moderationem præseferant; mores eos exprimentes, qui in ecclesiastici ordinis hominibus debent elucere.

Dec. 4. Quod linguã, & aures custodiant, & musicam nocturnã vitent.

IN omnibus tandem, corporis sensus ita cohibeant, vt præsertim auribus, & lingua ab ijs abhorrere se ostendant, quæ clericalis puritatis candorem possint aliquo modo fœdare. Sit autem tota ipsorum vita Laicorum doctrina; Semper enim in ipsos Laici oculos conijciunt, vt possint ab ipsis vitæ capere documenta. Sub pœna item viginti aureorum prohibemus Clericis, cuiuscunque status, & conditionis existant, noctu per Ciuitatem, diuagari canendo. Sub eadem item pœna caueant, ne in Comędijs, & spectaculis publicis canendo operam suam nauent; sub quocunque affinitatis, vel cognationis etiam prætextu.

Dec. 5. Quod mercaturæ non incumbant.

MEmores ergò vocationis suæ sint, qua eos vocare dignatus est Dominus noster; & à secularibus sollicitudinibus prorsus abstineant: & sicut sacro ordine à reliquis hominibus seiuncti sunt; ita præstantiùs viuendi genus sequãtur, quo ordinis dignitate præcellant. Propterea ergò Diuino cultui, & cælestium rerum meditationibus vacent; ita vt præsertim à mercatura omninò abstineant; secus enim, pœnas à sacris Canonibus constitutas incurrent.

Dec. 6. Quòd pijs libris vacent.

SAcrorum Bibliorum volumina, & eorum aliquem magis vtilem interpretem; Librum de Sanctorum vitis; Cathechismum Romanum; Rationale Diuinorum Officiorum; Libellum de Mis-

sæ cerçmonijs; Tridẽtinum Concilium; Tractatum aliquem de Sacramentis; & has nostras Cõstitutiones assiduè in manibus habeant; sic enim fiet, vt potentiores reddantur in sana doctrina, exhortatores, & se ipsos custodiant immaculatos: Qui enim, Beato Hieronymo teste, amat studia scripturarum, & carnis vitia non amabit.

Dec. 7. Quòd non gestent arma.

CLerici item, si cum nostris dimissorijs litteris peregrinari illos contigerit, clericales vestes non dimittant; & quæ in Ciuitate talares esse debent, saltem infra genua pendeant; ita vt siuè equitando, siuè pedester incedendo, clericos esse facilè cognoscatur. Nec tamen hac occasione permittatur illis, sclopos siuè longos, siuè breues deferre; sed illud solùm armorũ genus, quod honestum est, ac defensiuum; idq. tantùm, dum in itinere per suspecta loca sunt constituti. Si quis autem breuiores sclopos gestauerit, triremis supplicio, vel alia atroci ad nostrum arbitrium pœna punietur.

Dec. 8. Quod mulieribus non cohabitent.

ILlud præterea, in alia Synodo sancitum, sub grauissimis pœnis inculcamus; vt nullus Clericus audeat cum mulieribus habitare, cum quibus, vel minima possit esse suspitio; Vndè contubernium, familiaritas, consuetudo publica, vel secreta quarumcũque suspectarum mulierum ipsis interdicuntur; Inde enim non minimùm vita, & recta opinio polluitur: Non enim facilè quis ignem in sinu suo potest alligare, vt saltem vestimenta non comburantur.

Cõc. Cabel. 1. can. 3.

Dec. 9. Quòd bannitos nõ recepterent, nec otio, venationi, aut scurrilibus se dedant.

CAueant præterea cõsuetudinem perditorum hominum; & præsertim, ne sint (in publicæ rei damnum) latronum, vel exulum, quos *bannitos* vocant, receptatores, seu fautores, sub grauis-

uissimis pœnis, arbitrio nostro irrogandis. Nullum venationis genus, à sacris Canonibus vetitũ, exerceant; nec videantur publicè in Ciuitate, in artificum, aut vendentium officinis, tẽpus otiosè consumere; nec ex eorum labijs, quæ diuinis laudibus sunt consecrata, scurrilia potiùs, & quę ad rem non pertinent, audiantur; sic enim Deo solùm, cui se consecrarunt, placere studebunt.

Dec. 10. Quod Talis, & Aleis non ludant.

QVia verò, licèt sacris Canonibus, & in alia Casinensi Synodo fuerit ludus Clericis adeò seuerè interdictus, tamen non ita ab illo Clericos, sicut eos decet, videmus abhorrere; Ideò quòad ludum Alearum, & alios prohibitos, innouamus iterum easdem pœnas; Iniungentes nostro Vicario Generali, vt in hoc seueriùs inquirat, & animaduertat. Quòad pestiferum tamen Talorum ludum, illum ita inhibemus; vt execrabilis ista pestis omninò à Clericorũ limitibus eliminetur; ludumq. illum Clericis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ interdicimus; Laicis præcipientes sub præcepto obedientiæ, vt nullam ipsis Clericis ad hunc finem exhibeant commoditatem.

Dec. 11. Quòd beneficiatus non recitans, fructus reddat.

CLericos potissimùm in talem sortem ideò Dominus vocauit, vt diuinis precibus vacãtes, diuinam possint euitare vltionem. Qui igitur beneficia ecclesiastica obtinent, vel sacris ordinibus sunt initiati, diuinas laudes, precesq; horarias attentè, piè, & distinctè recitent; & dum priuatim officium hoc persoluunt, alios non alloquantur; nec stent ante officinarum fores; nec deambulent in plateis, in quibus tumultus tales excitantur, qui à debita animi collectione ipsos valent auocare. Et diligenter vnusquisquę suam

conſcientiam examinet, num ex omiſſione horariarum precum, ad reſtitutionem partis fructuum obtenti beneficij teneatur; Nec ipſe ſit iudex, in caſu, quo poſſit eleemoſynaliter ſibi retinere propter ſuam paupertatem; ſed totum faciat arbitrio prudentis confeſſarij, quod iddem intelligatur de ijs, qui penſionem aliquam obtinent; qui ex Pij V. Conſtitutione, ſaltem horas Beatæ Virginis tenentur recitare.

Dec. 12. Quod officijs, & cõcionibus interſint.

ET quoniàm Dominicis, feſtisq. diebus fidelis Populus ad res diuinas ſtudioſiùs incumbit; Ideò valdè indecens eſt, Clericos tunc profanis occupationibus operam dare. Propterea volumus, vt Clerici, qui in ſacris ordinibus, etiam Presbyteratus, ſunt cõſtituti, noſtræ Matrici Eccleſiæ interſint; præterquam ſi tunc temporis alicui Parocho, vel miniſtranti Sacramenta, vel aliquod aliud pium opus in ſua Parochia exercenti, operam ſuam præſtent; de quo tamen teneantur Superiorem Matricis Eccleſiæ certiorem facere. Sacris item concionibus, & quibuſlibet ſacris lectionibus, cũ in Matrici Eccleſia habentur, Quadrageſimæ præſertim tempore, teneantur adeſſe, & in loco, vbi totus Clerus aſſidet, conſedere decenter, & honeſtè ſtudeant.

Dec. 13. Quòd præ cæteris luceant in exemplum.

QVæcunque verò in alia Caſinenſi Synodo sũt ſanctè, & laudabiliter ſancita, circa vitã, & honeſtatem Clericorum, ea iterum innouamus; Et quatenus opus eſt, de nouo mandamus, Clericos admonentes; vt in omnibus exhibeant ſe Dei miniſtros, & abijcientes opera tenebrarum, induant arma lucis; vt alijs poſſint per lumen bonarum ſuarum operationum prælucere.

De

De Seminario Clericorum.
Cap. II.

CVm iam pridem, iuxta Sacrosancti Concilij Tridentini præceptum, prudẽtissimè à Prædecessoribus nostris fuerit pro tota nostra Diœcesi, in Ciuitate S. Germani erectum Seminarium Clericorum, ad ipsorum educationem, atque in disciplina Ecclesiastica institutionem, nos volentes Sanctam eiusdem Concilij mentem irritam non fieri, vt prædictum Collegium Dei ministrorum perpetuum Seminarium sit, ijs, quæ ad conseruandum,& augendum tam pium,& sanctum institutum pertinere videntur, diligenter ac præmaturè discussis, quæcunque visa sunt posse tam laudabile intentum ad recti finis metã perducere, hic sancienda, & ordinanda iudicauimus, non ea solùm, quæ à pueris ipsis, verùm maximè, quæ ab ipsorum moderatoribus seruanda inuiolabiliter erunt, districtè ac seuerè præcipientes. Sess.23. c.vlt.

In primis ergò, quoniam pro humanæ fragilitatis conditione factum est, vt homine, propter primigeniam Prothoplastorum labem,in deteriùs commutato, internis debilitatis,ac languescentibus viribus, sensus, & cogitatio humani cordis ad malum prona sint, præsertim in ipsius iuuentute, cuius viam prorsus se ignorare, Sapiens ipse est confessus,ideò necessarium fuit, in omni communi viuendi societate, prudentiorem aliquem virum eidem societati præficere, cuius opera, legitimaq; authoritate, spiritualibus præsertim damnis prospiceretur. Cum ergò Seminarium parua quædam sit ministrorum Dei cõmunitas, S. Greg. in Past.2.p. c.6.

ideò cordatioris, & prudentioris viri opera, auxilioq; indiget, quo alumni ipsi, ita in gratuita Dei subiectione contineantur, Ecclesiasticisq; institutis regantur, vt vel virtutis amore, vel saltē suppliciorum metu, ac formidine pœnæ, à scelerum noxis arceantur, non secus, ac ijs, qui rem suam gerere, patrimoniumq; nesciunt administrare, à legibus administri dantur, & curatores, facilè enim ingenium mite vitium capit, nisi freno disciplinaq; regatur, vt enim Sanctus Chrysostomus ait, talis hominum natura est, vt si quando peccās non refrenetur, sed securè agat, vlteriùs procedat, & in præceps feratur.

Hom. 26. in Gen.

Moderatoris ergò, seu Magistri, à nobis, nostroq; Vicario Generali deputati, partes erunt, tā graui malo occurrere, præeundo semper alumnis ipsis verbo, & præsertim exemplo, vt ipsius mores, actus, gestus, exterior habitus, cultus, conuersatio, tota denique ipsius vita Clericis ipsis sit tanquam lex muta, ac perfectè norma viuendi, cui præter alias virtutes, illud præsertim præ oculis est habendum, vt ita inuigilet super cōmisso sibi grege, vt seposito singulari alicuius affectu, omnes æqualiter ad veri boni metā dirigat, & disponat.

Nec tamen propterea seuerum semper debet Iudicem agere, sed modò patris, modo iudicis munere fungi, vt aliquando beneuolum se ostendens, mellitis verbis ad virtutes sequendas eos demulceat, & consoletur, & quando opus fuerit, seuerum præseferat, & durum, vt in eos animaduertens, ac pœnis illos coërcens, à flagitiorum arceat desiderio, nedum sequela. Non rarò etiam reprehensionum aculeis illos exstimulet, vt sic acriores, & vehementiores illorum efficiantur in disci-

disciplina Ecclesiastica vires; in omnibus tamen pacatum se, & sedatum demonstret, vt pacem, & quietem adeò in hoc loco exoptatam tueatur, & Clerici ad ipsius obsequium, & obseruantiam incitentur.

In omnibus ergò se ipsum præbeat exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, & grauitate, vt qui exaduerso sunt, & tam laudabile institutum auderent calumniari, vereantur, & non habeant aliquid dicere de nobis. Quod tunc Deo Duce assequetur, quando illud præ oculis habebit, ab eorum qui in Seminario viuūt recta institutione, totius Diœcesis pendere reformationem. Tunc enim Deo dante eas in se ipso ad viuum exprimet virtutes, quas in Clericis ipsis requiret, sicque ij in ipso tanquam in speculo expressam videbunt eius vitæ imaginem, quæ ipsis omni studio erit effingenda, & qui sibi commissi fuerint, eos à Seminario fructus percipient, quos Sancta Dei Ecclesia, ac Tridentinum Concilium sibi proposuit.

Ante omnia autem studeat, vt quæ ad spiritualem progressum erunt à nobis instituta, inuiolabiliter obseruentur, & nulla nisi vrgentissima de causa intermittantur, quod si quid aliquando animaduerterit, quod vel scandalū afferre, vel labem aliquā aspergere Seminario possit, statim nobis, vel nostro Generali Vicario referat, vt ijs possimus de oportuno remedio prouidere. Quocircà omni diligentia est illi incumbendum, vt sibi mores, ac studia Clericorum omnium sint cognita: quibus cohortationes nonnunquam habeat de rebus, quas ad Ecclesiasticam disciplinam conseruandam, iudicauerit expedire.

Nec sinat vnquam illos diebus festis Choro interesse sine sua ipsius præsentia, vt diligētiùs illi, quæ ad diuinum cultum spectant, exequantur, quod idem seruabit, quando extra Ciuitatem, ad exhilarandos animos, statis temporibus diuagari erit illis permissum. Illud prçtereà seruabit, vt nulli facultatem concedat exeundi è Seminario priuata de causa, nisi ea bene cognita, & perspecta, quod si ipse necessariū iudicauerit, aliquando noctu aliquem in domibus parentum, vel infirmitatis causa, vel aliqua vrgenti occasione debere commorari, id non permittat, nisi priùs nostrum Vicarium Gçneralem commonefecerit.

Singularium item amicitiarū nodos inter Clericos statim dissoluat, curans, vt omnes æqualiter se inuicem diligant, quauis vel minima odij suspitione seposita. Nec faciat, vt facilè pateat aditus etiam diù exteris ingrediēdi Seminarij septa, ad colloquendum cum Clericis, nisi ipsorum fuerint parentes, & re priùs ab ipso cognita; noctu verò omninò non permittat alios introire, nec seruientes Seminarij, nisi vrgenti de causa, exire. Propter quod, serotino tempore, quando sibi videbitur oportunum, Seminarij fores claudet, & clauem apud se conseruabit.

Ipsius etiam officium erit, singulis diebus rationes capere abijs, qui impensas faciunt, cognoscens, an totum id, quod impensum fuit, in Clericorum, & Seminarij ipsius seruitium fuerit expensum, ipsasq; rationes manu sua subscribat, & extractas singulis mēsibus nostro R. Vicario præsentet, à quo, & à nobis etiam tùm de temporali administratione, tū de vniuscuiusque Clerici statu interrogatus, fideliter respondeat, vt ijs, quibus

erit

erit prospiciendum, diligenter prospiciatur. Ante omnia verò dabit operam, vt circà ea, quæ obseruanda erunt, & à nobis inferiùs præscribentur, nihil inconsultis nobis innouetur.

Porrò quãtũ ad ipsius Seminarij instituta spectat, in admittendis Clericis, vt in Collegio hoc educandi viuant, statuimus obseruandum esse Sacri Conc. Trid. statutum, vt non recipiãtur nisi pauperes nostræ Diœcesis, & Iurisdictionis Casinensis, qui sint non minores duodecim, nec maiores decem, & sex annis, ex legitimo matrimonio nati, & quorum indoles, & boni mores spem afferant, eos Ecclesiasticis ministerijs perpetuò inseruituros, ditiores verò, & exteri non excludantur, modò suis sumptibus alantur. Qui verò de ipsius Seminarij bonis alendi admittuntur, non priùs recipiãtur, quàm cautionem nobis præstari fecerint de resarciendis damnis ipsius Seminarij, percæptis propter ipsius Clerici alimoniam, nisi in Clericatu permanserit. Sess. 24. c. 18.

Atq; vt in disciplina Ecclesiastica rectiùs, & cõmodiùs instituantur, statim tonsura, atque habitu Clericali vtentur; Insuper vt omnia impedimenta auferantur, quæ ad conseruandum, & augendum tam pium, & sanctum institutum pertinere videbuntur, præcipimus, vt si qui erunt malorũ morũ seminatores, si ter admoniti, & puniti non resipuerint, tanquam discoli, & incorrigibiles expellantur.

Curet maximè moderator, vt singulis diebus Missæ sacrificio deuotè, ac religiosè intersint, cui singuli per hebdomadam teneantur reuerenter, & decorè inseruire, vndè instruantur, quomodo munus hoc posѕint debitè obire, illud præsertim ad-

uer-

uertentes, vt dum Sacerdos sacra sumit indumenta, illa concinnè aptentur, præsertim vt Albæ fimbriæ sint inter se rectè coaptatæ, ne vna super aliã eleuetur. Singulis item quibusque mensibus Sacerdoti à nobis deputato confiteantur peccata sua, & iuxta ipsius iudiciũ sacra se reficiant Cõmunione. Collegiatæ itẽ nostræ Ecclesiæ S. Germani singulis diebus festis inseruient, & Choro pręsẽtes sint, dum Matutinæ, alięq; horæ persoluũtur, & Missa solemniter cantatur, cui teneantur ministrare de thuribulo, & ceroferarijs, propter quod ab eodẽ Moderatore instituantur, quomodo ritè, rectèque iuxta Romani Ceręmonialis præscriptum, dictum possint munus obire.

Singulis itẽ diebus Domi in Cappella recitent deuotè Officium Beatę Mariæ Virginis, quibus recitantibus aliquando intersit Magister, aduertens illos, ne in prauam aliquam, & barbarã pronuntiationem impingant, & insuper cum debita pausa totum persoluãt. Faciat se multoties illis ex improuiso præsentem, acriter reprehendendo eos, qui deprehensi fuerint tunc temporis aliquid nugatorium facere, vt si non virtutis amore, saltẽ formidine pœnę à talibus abstinere assuescant. Instituantur item, quomodo mentaliter orent: sed, & singulis diebus punctum aliquod mysteriorũ nostræ fidei illis præponat, quod per quartã saltem horæ partem meditẽtur, qui deindè à Magistro ipso interrogentur quenam fructum putent ex tali meditatione percipiendum?

Manè, postquam de lecto surrexerint, & serò, antequam ad illum accedant, conueniant omnes in Cappella, ibiq; preces eas fundant, quas illis in tabella præscribemus. Tẽpus verò dormiendi

sit

sit illis præscriptum,& determinatum iuxta temporis qualitatem.

Atque vt pietas,& Christianus amor inter Clericos conseruetur, præcipimus illis, vt nullus audeat, nec seriò, nec ioco manus supra alium iniicere, nec solitariè inter se ipsos præsertim extrà tempus ad id destinatum, colloqui,nec etiam publicè cum ijs,quibus sibi à moderatore fuerit interdictum.

Et quoniam Sacrosancta Tridentina Synodus statuit,vt pueri in varias diuidantur classes, iuxta eorum ætatem,quod in nostro Seminario propter paruum numerum alumnorũ tam commodè seruari non potest, ideò præcipimus, vt in ijs recipiendis hoc aduertatur, vt non sit inter ipsos magna ætatis disparitas, vndè nec minores duodecim annis recipiantur, nec ij, qui decimum sextũ superarunt.

Porrò in educandis pueris, vel in disciplina Ecclesiastica, vel in cęteris scientijs, & doctrinis, nullo pacto recedatur ab ordine Sacri Cõc.Trid. vt (præter grãmaticam) cantus, & computi Ecclesiastici doctrinam, singulis diebus discant. Habeant prætereà libros Ecclesiasticos, homilias nempè Sanctorum, & alios, de tradendorum Sacramentorum doctrina tractantes,pręsertim verò Cathechismum Romanum, quem illis Magister singulis diebus Sabbati explanet, efficiatq; vt familiariter illum Clerici prõptum in manibus habeant, vt non solùm inde grammaticum sensum sciant eruere, sed etiam doctrinam, & praxim circà animarum curam possint indè cognoscere.

Et quoniam inoleuit vsus,vt singulis hebdomadibus vno die à studijs vacetur, illum quidem per-

permittimus, nolumus tamen omninò vacuum diem, & ſine linea præterire. Præcipimus ergò, vt ante prandium ſaltem per duas horas lectioni huius noſtræ Synodi, & doctrinæ de modo diuinũ Officium recitandi, incumbant, quod vt obſeruetur, nouerint ſe de hoc, & præſertim de Cathechiſmi doctrina, tertio quoque menſe elapſo, rationem reddituros.

Ne verò omnia caſu contingant, initio cuiuſcũque menſis diſponantur horæ, vt quid in vnaquaque ſit faciendum, ſingulis diebus determinetur, ita tamen, vt tempus determinatum, quo permanendum eſt in ludo litterario, ſint duæ horæ, cum dimidia ante prandium, & totidem poſt illud.

Tàm pro prandio, quàm pro cœna, & ientaculo, ſit locus aliquis determinatus, omninò mũdus à ſordibus, quò non cõueniant, niſi ſtatutis horis, omnes per ordinem, iuxta diſpoſitionem moderatoris, quò nullus audeat niſi lotis manibus accedere, nec indè ſedere, niſi priùs menſæ fuerit benedictum, iuxta modum præſcriptum in Breuiario Romano, nec antequam moderator ipſe in ſuo loco ſederit. Vbi inter ſe non colloquantur, ſed modeſtiam ſeruent, nec auidè nimis comedãt, nec pulmenta, dum illis offeruntur, ſeligant, ſed quicquid ſibi fortè cõtigerit, capiat vnuſquiſque, Ac dum comedunt, alter ex ipſis menſæ inſeruiat, alter verò ex loco aliquo eminenti librũ aliquem latinè, alium vulgariter, de ſpiritualibus loquentẽ; iuxta noſtrũ præſcriptũ legat, cui legenti omnes attendant, quòd ſi contigerit ipſum legentem, vel in modo pronũtiandi, vel in modo interpungẽdi, vel aliter errare, Magiſter ſtatim illum corrigat, ne frequens in labendo vſus generetur; Ipſi verò,

le-

legens, &mense inseruiens, singulis hebdomadibus deputentur, qui deindè dum comedunt, eandem modestiam seruent.

Extrà locum hũc deputatum ad comedendum, nulli quidem comedere liceat, nisi infirmitatis causa, moderatori, vel magistro cognita, quod vt faciliùs posſit seruari, pręcipimus, vt nullus posſit apud se nummos habere, sine expressa moderatoris licentia, qui noscat peculiariter, quibus vsibus illos impẽdant. Quod si cui comestibile aliquod fuerit à parẽtibus oblatũ, statim illud moderatori offerat, qui si omnibus diuidendum iudicauerit, diuidat, sin minùs, illi, vt cum suis vicinioribus illud in cœnaculo comedat, faciat potestatem.

Post prandium, & cœnam, gratias agant Deo, iuxta ritũ etiã in Breuiario Romano præscriptũ, addantq; in fine Psalmum *De profundis*, cum oratione generali, pro omnibus fidelibus defunctis, post modum verò aliquantisper orent pro benefactoribus.

Talares vestes domi nunquã dimittant, etiam dum soli in Cellulis degunt, nisi tantùm noctu dũ dormiunt, & seruetur omninò, vt singuli in separatis lectis cubent, nec die verò, nec nocte audeat aliquis sine Magistri præsentia Cellulam alterius, sub quouis prætextu introire.

Eulogia, seu litteras, & epistolas ad aliquẽ nullo modo audeãt mittere, nisi de moderatoris licẽtia, à quo cũ iniũgitur aliquid, ad domestica ministeria spectans omnes statim obediant. Ab eo itẽ præsertim abhorreãt, ne quicquam, vel minimum ad totam communitatem, vel ad alios particulares spectans, clàm subripiant, quod si quis prima vice deprehensus, & monitus, in hoc non resipuerit,

rit, ad nos deferatur, vt de oportuno remedio prouideamus.

Dum secum conuersantur, nullus audeat alium nisi proprio baptismatis nomine, vel familiæ cognomine appellare, vndè volumus illos à cõmentitijs nominibus omninò abhorrere, sic enim simultates, rixæ, contentiones, & odia faciliùs euitantur. Quod si quando contigerit se dictis, factisq; mutuò lædere, postquàm pœnas condignas luerint, statim Magistri opera concilientur, ne radices agere posſit malum, vt difficilè sit postmodum, illud eradicare. Nec permittantur Clerici noctu domum discurrere, nisi grauis necesſitatis causa, & tunc non sine lumine, propter quod volumus, vt noctu continuò lampas ardeat in dormitorio.

Curet Moderator, vel Magister, scire omnes libros, quos habent apud se Clerici, nec illis permittat, eos, qui de rebus iocosis, obscœnis, impurisq; tractant, apud se habere, etenim ex illis ingenium mite facilè vitium capit, propter quod volumus etiam omninò, vt Magister cantus, dum illos exercet, à lasciuis cantilenis, modulationibusq; abstineat, & cantus sit de rebus sacris, vel spiritualibus, quæ animum posſint à vitijs auocare, & ad pietatis, virtutisq; studium conciliare.

Quæ omnia vt cautiùs, & faciliùs obseruẽtur, Moderatorem, & Magistrũ admonemus, vt domi quantum posſunt se contineant, nec nisi vrgẽti de causa indè exeant, attendẽtes præsertim, vt pueri ab illicitis ludis, tanquam à dirisſima peste, abstineant, permittãt tamen illis statutis temporibus licitos, & honestos ludos, vt sic fortior ad studium mens redeat oblectata. Et quoniam ita hucusque fuit

fuit seruatum, vt, singuli Clerici in singulis cellulis cubent, vsque dum aliud fuerit circà hoc à nobis prouisum, præcipimus Moderatori, vt clauem aliquam communem apud se habeat, qua possit cellulas omnes aperire, & ex improuiso singulis adesse, vt saltem hoc timore perculsi pueri, cautiùs suis temporibus, studijs incumbant litterarum.

Ne verò facilè sit Clericis expiscari occasionē aliquam ex Seminario exeundi, & in parentùm domibus pernoctandi, Volumus, vt qui leui aliqua corporis ægritudine fuerint correpti, in Seminario curentur, quod si accersitus Medicus diuturniorem illam iudicauerit, ad proprias parentum ædes dimittantur; facto priùs nostro Vicario Generali certiore. Cæterùm quæcunque de vita, & honestate Clericorum fuerunt in alijs Constitutionibus nostris sancita, eadem striċtiùs à Clericis Seminarij seruentur, ab illis etiam, qui proprijs sumptibus voluerint in Seminario institui, quos easdem prorsus leges, & constitutiones volumus obseruare, de quibus etiam, sicut de alijs, antequàm Seminarium ingrediātur, fiat diligens inquisitio, de moribus scilicet, natalibus, alijsq. conditionibus, in Clericis Seminarij requisitis.

Quarum quidem nostrarum Constitutionum, ne quis ignorantiam possit præsumere, & excusare excusationes in peccatis, Volumus illas vulgari sermone donatas, & in aliquo decenti loco, in Seminario, à nobis subscriptas, affigi, & singulis mensibus, bis saltem in publica mensa legi, vt sæpiùs omnes sui officij commoneantur.

Circà temporalium verò administrationem, siuè

uè in ordinarijs, siuè in extraordinarijs impensis, omninò seruetur quicquid à nostro Generali Vicario præscriptum fuerit, atque mandatum.

De Sacerdotibus. Cap. III.

SI ergò sacris diuini eloquij verbis instructi, hęc simplicibus obseruāda Clericis sunt proponenda; quali oportebit vitæ honestate exemplorum sanctimonia, animarum salutis zelo instructos esse eos, quos ea dignitate voluit Deus in Terris esse præditos, quibus Reges ipsi, ac seculi Principes, ad benedictionem recipiendam, regios submittunt fasces, & genua ipsa soli Deo flecti solita, flectunt? Vt propterea cum peccata remittendi ministerio fungātur, Dei sint quoddam exemplar in Terris. Si enim quia potestatem miracula perpatrādi Moysi tribuerat Deus,
Exod. 7. Pharaonis illum constituit Deum; quomodo non magis mundi huius veluti quidam Dij constituti sunt Sacerdotes, quibus remittendi peccata tradidit potestatem? Verum enim, inquit Beda, dicebant Scribæ, & Pharisæi, quia nemo nisi Deus
Luc. 3. potest peccata remittere; qui tamē per eos quoque dimittit, quibus dimittendi tribuit potestatem. Non fecit profectò Deus taliter omni nationi; Cum enim in Populo sibi dilecto regale instituerit Sacerdotium, nec claues illis aperiendi, claudendiq. cælestes ianuas dedit, nec interiori illos admirabili insigniuit charactere. Legales enim Sacerdotes thimiama solùm adolebant, non nisi brutorum victimas offerēdo; Euangelici verò, & thimiama adolent, & ipsum Dei Filium, Deum, Hominemq. verum æterno Patri offerūt;
D. Thom. in 4. dist. 19. Abul. Matt. 3. q. 57.

cuius

cuius sacrificij maiestas, quantum Cælum distat à Terra, tantum ab illis, quæ iam sunt abrogata, sacrificijs seiungitur interuallo. Si panes propositionis illi, in conspectu Dei proponebant; hi panem illum, qui de cælo descendit, singulis diebus in altari, ante oculos Dei proponunt. Illi materiales in Templo lucernas incendebant; hi mysticas animarum nostrarum lucernas, cælestis amoris incendijs inflammant. Illi tubis argenteis clangebant; hi aureis Diuini verbi concionibus per totum Orbem clamant. Illi de corporali lepra iudicabant; isti de interioribus peccatorum maculis, ac lepris non iudicant solùm, sed illas pœnitentiæ lauacro emundant. Illi ad bellum progressuros milites corroborabāt; hi Christianorū corda bellum cū spiritalibus Nequitijs initura confirmant. Si ergò illos isti, & dignitate, & officij maiestate antecellunt; & vitæ etiam honestate, ac morum anteire conuenit sanctitate. Solerter enim se quisque metiri debet, ne tātæ dignitatis locum audeat sibi assumere; si in se adhuc vitium damnabiliter videt regnare. Nō enim ille, quem proprium vitium deprauat; intercessor apud Deum debet esse pro culpis aliorum. Hinc namq. volebat Deus, veteris legis Sacerdotes corpore etiam esse integros, atque perfectos; illa enim corporis perfectione, animi adumbrabatur integritas; nam si mortale illius Sacerdotis corpus inspici oportebat, ne quo cōtaminatum esset vitio; quantò magis nostrorum Sacerdotum animam immortalem, decet esse à vitijs non contaminatam? Hinc namq. superna voce ad Moysen dicitur: *Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias, qui habuerit macu-*

Leuit. 24.
Exod. 27.
Leuit. 24.
Num. 10.
1. Paral. 5.
Leuit. 13.
Deut. 20.
Greg. cap. 10.
Cyril. ij. de ado.
Leuit. 21.

lam, non offeret panes Deo suo; nec accedet ad ministerium eius. Si cæcus fuerit, si claudus, si vel paruo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si iugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus. Quibus, si viuificantem spiritum sequamur, adumbratur, cæcos non debere esse nostros Sacerdotes, qui supernæ contemplationis lumen ignorent; & præsentis vitæ tenebris oppressi, venturam lucem nequaquam diligendo conspiciant. Cum enim Populorum esse debeãt ductores, in foueã simul omnes caderent; si cęcis cęci ducatũ præstarent: Nec item claudos; qui licet quò pergere debeant, aspiciant, per infirmitatem tamen voluntatis, vitæ perfectæ viam non valeant tenere, quam vident. Nec paruo sint naso, quo discretio exprimitur; ipso enim fœtores, odoresq. discernimus; Debet ergò ad tenẽdam mensuram discretionis esse idoneus. Quia tamen moderati in hoc esse debent, ne exquisitioribus, plusquam necesse est, se exercentes, nimia subtilitate fallantur, ideò subditur; *Ne vel grandi, vel torto sint naso.* Nasus quippè grandis, & tortus, est discretionis subtilitas immoderata, atque inordinata. Fracto autem pede, vel manu est; qui viam Dei peragere non solùm non valet; sed omninò à bonis actibus alienus existit. Gibbus item esse non debet; ita nempè terrenæ sollicitudinis pondere pressus, vt nunquam ad superna respiciat, sed solùm his, quæ in infimis calcantur, intendat. Oculorum item lippitudine debet carere; ne ipsius sensus, quem diuinæ exacuit gratia ordinationis, prauitas tamen carnalis confundat conuersationis. Albugi-

ginem etiam abijcere de oculis debet; ne propriæ iustitiæ, & sapientiæ arrogantia inflatus, excæcatus incedat; hi enim dicentes se sapiêtes esse, stulti facti sunt. Ille verò iugem scabiem habet; cui carnis petulantia sine cessatione dominatur. Impetigo autem cum morbus sit, sine dolore corpus occupans, membrorum tamen fœdans pulchritudinem; hac designatur auaritia; quæ dum captiuam animam delectat, illam miserabiliter exulcerat. Hac ergò maximè à Sacerdotis corde decet esse alienam; quia per illã virtutum omnium pulchritudo deperditur; Per vniuersa enim vitia animum supplantat, Paulo attestante, qui ait; *Radix omnium malorum est cupiditas.* Ponderosus quoque esse non debet; non enim totius animi cogitationibus ad lasciuiam debet diffluere, quasi nihil aliud gestans, quàm turpitudinis pondus in corde; vt omnium viscerum suorum vitalis humor ad carnalia dilabatur; ad vsum enim boni operis nunquam valebit assurgere ille, quem turpè pondus carnalis grauat affectus. Vt ergò rectè Sacerdotes suum impleant ministerium, hæc à summo illo Sacerdote, Sacerdotum omnium speculo limpidissimo Sacerdotibus insinuata, iugi consideratione reuoluant; Non debere scilicet panes Deo offerre eos, qui qualibet vitiorum turpitudine se noscũt fœdatos, vel ipsorum pondere depressos; vt sollicitè sit illis formidandum, ne qui Dei iram placare se posse credunt; hanc ipsi ex proprio reatu mereantur.

Rom. 2.

Dec. 1. Sint Sacerdotes norma Populorum.

PRæter ea ergò, quæ circa vitam, & honestatem Clericorum sunt præcedẽti capite sancita, quæ ipsis etiam Sacerdotibus sunt commu-

Trid. sess. 22. cap. 1. de ref.

nia; illud insuper admonemus, quod ipsos fidelis Populi oporteat esse normam, vtpotè à rebus seculi abstracti, & in altiorem locū sublati, hæreditas Domini facti sunt; & ad ipsorum exemplum mores suos populum componere: In eos enim tanquam in speculum reliqui omnes oculos conijciunt, ex ijsq. sumunt quod imitentur. Quare cauendum illis vigilantissimè, ne per prauæ vitæ exempla laquei sint potiùs fideliū animabus; de quo Propheta conqueritur dicens; *Vobis iudicium est, Sacerdotes, quoniam laqueus facti estis speculationi, Et rhete expansum super Thabor*. Laqueus quippè sunt Sacerdotes in Ecclesia, & rhete in Monte sancto Domini; si positi super candelabrum, vt luceant, inde offendiculo sint alijs, vnde in eis Christum debent formare.

Ose. cap. 5.

Dec. 2. Studeāt Summis casuum.

SAcerdotes, licèt curam animarum nondum susceperint, si ad confessiones audiendas sūt expositi; contenti non sint se aliquādo ad munus hoc obeundū fuisse approbatos: Nouerint enim se iterum, & sæpiùs examinandos, num in tali exercitio profecerint. Aliquam ergò de casibus conscientiæ Summam habeāt, in quorum studijs, nunc legendo, nunc inter se discurrendo versentur; ne cæci cæcorum duces iure possint à Domino appellari; atque vt animarum homicidæ meritò puniantur.

Matth. 15.

Dec. 3. Pro dignitate conuersentur.

INter cætera sanè, quibus à splendore suo (vt zelo indulgeamus) facies Ecclesiæ cernitur immutata, illud maximè dolendū; quòd ex nōnullorū incuria, Sacerdotalis ordo nimiùm appareat viluisse; cùm tamē Sacerdotes sint, de quibus per os Prophetæ Dñs dicit; *Qui tetigerit vos, tangit pupulam oculi mei*. Quos sibi Dñs familiares in tan-

Zach. cap. 2.

tantum esse voluit, vt etiam aliorum hostias per eos acceptaret, eosq. sibi reconciliaret. In posterum ergò, vt tam graui morbo occurratur, Sacerdotes omnes suam vbique retineant dignitatem, ne Laicis demissè inseruiant, nec illis assistant capite aperto, nec vtilia munera obeant; hæc enim Sacerdotalem dignitatem summoperè commaculant. Mulieres nullas, quãtumuis nobiles, nec etiam per Ecclesiam comitentur: Quòd si quis secus fecerit, grauissimas pœnas arbitrio nostro luet. Trid.sess.25. cap.17.de ref. c. Valentin.63 dist. c.Episc.65.dist. cap quis dub, c.duo sunt 96. dist.

Quia verò ipsi cæteris Clericis in sectandis virtutibus præbere debent exemplum, & normam viuendi: Ideò illis præsertim castitas debet esse commendata; quæ in hoc mortalitatis loco, statum quendam immortalis gloriæ repræsentat. Et quia sicut serpens Euam seduxit, ita cordati etiã homines mulierum cohabitatione sic corrumpuntur, vt multoties ab ea castimonia, quàm sanctè, & inuiolatè spoponderant seruare, facillimè excidant; Ideò sub sanctæ obedientiæ præcepto Sacerdotibus iubemus, ne cum alijs mulieribus quocunque propinquitatis gradu sibi coniunctis, exceptis tamen matribus, sororibus, auijs, amitis, & ad summum, fratrum vxoribus, simul habitent. Ancillas verò ipsis habere non nisi seniores, atque ætate graues permittimus, quæ incontinentiæ fama nequaquã fuerint alicubi suspectæ. Dec.4. Mulieribus nõ cohabitẽt.

Assiduè præterea considerent Sacerdotes ea, quæ tantopere illis Concilium Tridentinũ commendat; nihil nempè esse, quod alios ad pietatem, & Dei cultum magis instruat, quàm Sacerdotum vitam, & exemplum. Cum enim à re- Dec.5. Quòd vita, & doctrina valeãt instruere.

bus seculi in altiorem sublimati numerum conspiciantur; maximè decet eos, vitam, moresq. suos ita componere, vt nihil in illis nisi graue, moderatum, ac religione plenum conspiciatur. Nouerint etiam in posterum Diaconi, ad Presbyteratus ordinem non esse assumendos, nisi omninò seruatis ijs, quæ sanctè sacri Canones præcepiunt; præsertim, vt cõprobentur priùs diligẽti examine præcedente, tanquam idonei ad docendum Populum ea, quæ omnibus scire est necessarium ad salutem.

Sess. 22. c. 1. de reform.

Sess. 23. c. 14. Concil. Tol. 4. cap. 19. c. quicunque 77. dist.

Dec 6. Agant, vt cælestes iudices

Ioan. 20. Matth. 16.

c. ver. de pœn. dist. 1. Trid. sess. 14. cap. 5.

ILlud denique præ oculis habeant, quod Dominus Noster IESVS CHRISTVS è Terris ascensurus ad Cælos, ipsos Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tanquam Præsides, & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina, in quæ Christi fideles inciderent, deferantur. Vndè cum clauium regni cælestis ministerium habeant, ita in terris viuere debent, ac si in cælis coram Deo versarentur.

Dec. 7. Ad Missam se studiosè præparent.

Sess. 22.

STudeant præsertim ijs, quæ in Missarum celebratione euitanda, vel obseruanda in sacro Concilio Tridentino, & in hac nostra Synodo præcipiuntur. Nuper Celebraturi, facta priùs breui saltem oratione, iuxtà modum in initio Missalis Romani præscriptum; vbi sacras vestes inceperint induere, cum alijs (quauis vrgente occasione) non colloquantur. Aduertantq. vt calix, corporale, palla, & omnia ad Missam necessaria munda sint, ac nitida. Antequam è Sacristia exeant, Missam totam perlegant; vt dum ipsi sine hæsitatione, sed expeditè, & deuotè Missam celebrauerint; Populus Dei ad canendas interiùs diuinas laudes faciliùs, & cum maiori deuotione accendatur.

Quo-

QVoniam ex Misſis indecorè celebratis, & non obſeruatis debitè, & decenter cæremonijs, in Miſſali Romano præſcriptis, admiratio multoties excitatur, & ſcandalum: Nos huic malo obuiã ire volentes, præcipimus, vt nullus in poſterum primam Miſſam celebrare audeat, niſi examinatus, & approbatus ab aliquo ex infraſcriptis, à nobis ad hoc deputatis. Quorũ approbationem in ſcriptis gratis conceſſam, noui Sacerdotes Ciuitatis S. Germani, & Caſtrorum adiacentium, teneantur perſonaliter noſtro Generali Vicario præſentare; ab ipſo celebrandi facultatem impetraturi. Qui verò Clerici morantur in Terris diſtantioribus, ſatis erit, eandem approbationem, ad eundem Vicarium, propter eandem licentiam tranſmittere.

Dec. 8. Quòd primò celebraturus, debeat approbari à deputatis.

EXAMINATORES.

Pro Ciuitate S. Germani.

R. P. D. *Epiphanius à Neapoli.*
R. P. D. *Placidus à Sancto Germano.*
R. P. D. *Antonius à Neapoli.*

Pro Terra Peſculi Conſtantij.

R. D. *Angelus Paſſante.*

Pro Terra Citrarij.

R. P. *Vicarius noster ibi pro tempore exiſtens.*

Pro Terra S. Petri de Auellana, Vallis Regiæ, Ciuitellæ, & Villettæ.

R. P. *Rector pro tempore exiſtens in S. Petro de Auellana.*

Pro Terra Serræ, & Faræ.

R. P. *Prior S. Liberatoris ibi pro tempore exiſtens.*

De Parochorum Officio.

Cap. I. V.

CVm Vnigenitus Filius Dei, in nostræ carnis substantia dignatus est apparere, & Ecclesiam perpetuò sibi despondere sponsam; ipso nato non solùm Angelorum Chorus gloriam Altissimo cecinit, sed statim Pastores inuigilare cœperunt; vt indè videretur Ecclesiæ surgentis exordiū. Illud enim ex eo docti sumus, eos nempè, qui spirituales à Christo erāt Pastores constituēdi, ad id inuigilare debere, vt greges, pecudum more ante viuentes, in caulam Domini congregarent; ne quos spiritualium bestiarum, per offusas noctium tenebras patiantur incursus, à quo excusabiles non essent. Si enim inuigilare, quod illis præcipitur arduum videbatur, fieret tamen onus leue, quia bonus Pastor illos informat. Cum ergò eos oporteat formam esse fidelium, dicente Apostolo; *Vt nosmetipsos formam daremus vobis, ad imitandum nos*; cauendum diligentissimè illis erit, ne per prauæ vitæ exemplum à recto itinere fidelium animas auertant. Si enim Pastorum sic lucere debet lux, vt omnes videant opera ipsorū bona, viamq; ad æternam Patriam ducentem; laqueus profectò erunt in Ecclesia Dei, & rhete expansum in Monte Sancto Domini, si ipsi sint offendiculo alijs, in quibus Christum Dominū tenētur efformare. Neque ergò grandi misterio vacat, quòd eadem nocte, qua Christus natus est Pastor bonus, Pastoribus natiuitatem suam voluerit ab Angelo nuntiari; ijs nempè qui erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis,

Ambrof. lib. 2. in c. 2. Luc.

super

super gregem suum: Boni quippè Pastores in eadem regione, in qua Christus est, debēt cōmorari; in eodem nempè mundanarum rerum contemptu, & in eadem ouium charitate; memores semper Apostolici dicti, quòd ipsi inuigilēt, quasi rationem pro animabus sibi cōmisis reddituri, & animæ propriæ periculū pro ouibus subituri, quātumuis in illos luporū, & immaniū irruat barbaries bestiarum. Sic enim comminatur Dominus per Prophetam: *Si dicente me ad impiū morte morieris, non annuntiaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur à via sua impia, & viuat; ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinē autem eius, de manu tua requiram.* Ezech. cap. 3. Non sint ergò Ecclesiastici Pastores, sicut ij, qui inuigilant solùm super gregem, vt proprium tantùm pascāt corpus, non verò vt gregem suum ad vera pascua ducant, de his enim idē Propheta dicit: *Væ Pastoribus, qui pascebant semetipsos, lac comedebatis, & lana operiebamini, & quod crassum erat occidebatis; gregem autem meum non pascebatis.* Cap. 34. En viuum, spiransq; vigilantis, & veri Pastoris exemplum: Si enim ita se gessit Iacob in pascendis ouibus Laban, vt illi dixerit: *Viginti annis fui tecum, oues tuæ, & capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, nec captum à bestia ostendi tibi; Ego damnū omne reddebam, die, noctuq; æstu vrebar, & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis;* Gen. 31. Si, inquam, tam improbo vigilabat labore, qui oues Laban pascebat, quot quantisq; vigilijs intendere debet, qui oues Christi pascit? Qui ergò à Christo constitutus est Pastor, sicut dignitate, ita etiam virtute, & exemplo debet oues suas anteire. Præsidis enim nomen non meretur, qui

eos, quibus præstat dignitate, non antecellit operis strenuitate. Designati ergò animarũ Pastores, cum ijs, qui ea nocte, qua natus est bonus Pastor, inuigilabant, transeant, & ducant gregem suum vsque ad Bethleem, ad Domũ nempè panis viui, qui de Cælo, vitam omnibus allaturus descendit; Ibi enim pascua inuenient dulcissima; ibi illos circunfulgebit lux magna de Cælo; indè reuertentur cum ouibus suis, & glorificantes, & laudãtes Deum, simul ad pascua ducentur sẽpiterna.

Dec. 1. Christianam doctrinam Parochi doceãt.

PRimò ergò Parochos sui Officij admonemus, & per viscera misericordiæ Dei obtestamur, vt munere suo fideliter fungantur, tanquam strictiùs Deo rationem pro animabus sibi commissis reddituri, maximè in docendis pueris Christianę fidei doctrinam; quod non ea, qua decet, diligentia videmus hucusque obseruatum; Propter quod & pueri cum graui animæ suæ discrimine fidei rudimenta nescientes, crescunt, & cum magno ipsorum Parochorum dedecore. Ideò ne pernities hæc inualescat, Parochis mandamus, vt diebus festis, hora competenti Ecclesiam suæ Parochiæ adeant, & Patres, Matresq; familias compellant, vt filios, famulos, cęterosq; ad suam curam spectantes, in Ecclesiam mittant, ad Christianæ institutionis præcepta exhaurienda.

Dec. 2. De competẽti hora doctrinæ & de curiositatibus omittendis ab Idiotis.

ATque ne ipsorum negligentia, nimię diligentiæ pallio contegatur: volumus, vt non adeò citò post comestionem, signum campanæ ad hoc conuocatorium, detur; cùm sint, qui tardiùs, & qui citiùs comedant. Reuerendus ergò noster Vicarius Generalis, horam singulis mensibus competentem inuiolabiliter in hoc obseruandam determinabit; in qua, in sua Ecclesia constitutus Pa-

ro-

rochus, quoscunque ibi congregatos, Christianæ Institutionis præceptis, iuxtà libellum in hoc adhiberi solitum, informandos curet, moneatq; eos, qui grandioris sunt ætatis, sed idiotę, vt à difficilioribus petitionibus abstineant; & satis sit illis, iuxtà verum Ecclesiæ Catholicæ sensum, modo illis conuenienti, erudiri.

Dec. 3. Quod peccatores etiam publicè arguat.

NEc etiam debita ipsorum diligentia in posterum desideretur, in corripiendis iuxta præcepta à Christo tradita, ijs, qui suæ fidei sunt cōmissi; vndè diligenter quærant, & corripiant perditos homines, publicos nempè blasphemos, concubinarios, aliorum corruptores, coniuges propter odiū à cohabitatione disiūctos, alternis inimicitijs sæuientes, veneficia, incantiones, sortilegia sectantes, vel quoduis aliud facinus in proximi damnum facientes. Quod si isti ita benignè, & amanter admoniti, obstinato animo perseuerauerint; familiares aliquos viros ipsorū peccantium adhibeant; vt tandem aliquando ad cor reuertentes, resipiscant. Quod si minùs profecerint, nos, vel nostrum Vicarium Generalem consulant; vt pro Pastoralis curæ officio, remedium illis afferatur salutare.

Dec. 4. Arguant eos, qui festa violant, & meretrices.

DIligentiam item adhibeant, vt dies festi in Catalogo adscripti, inuiolatè obseruentur; iddem reprehensionis officium præstātes cum ijs, qui festa solent sæpiùs violare, ijsq; qui illis diebus non Deo, sed diabolo per ludos, aliaq; opera illicita, deseruiunt. Si quas item publicas meretrices intra Parochię suę fines habitantes cognouerint, eas à turpi illo vitæ instituto ad saniorem mentem studeant reuocare.

Quod

Dec. 5. De continua Parochorum residentia.

QVod vt meliùs posint obseruare, curet præsertim, semper intra Parochiæ suæ fines residere; sæpiùs considératione euoluentes, ea, quæ Sacrum Concilium habet de Episcoporũ residentia, strictiùs de Curatis esse intelligenda. Quorũ residentia, vt bona sit, debet talis esse, vt populo possint semper in officio suo inseruire; & cùm facilè posit ex improuiso aliquid populo esse necessarium, continua debet esse Curatorum residẽtia.

Trid. sess. 23. cap. 1. de ref. Azor. inst. p. 2. l. 7. c. 4. q. 1. Caietan. 2. 2. q. 185. artic. 5. Sot. lib. 10. de Iust. q. 9. ar. 1.

Dec. 6. Paruo tẽpore liceat abesse.

NOn tamen propterea illos intendimus nimis rigorosè obligare, ita vt si aliqua rationabili de causa vrgeantur, Parochię fines egredi, nõ sinantur. Per illud tamen tempus, alicui probo Sacerdoti ex ijs, qui à nobis ad id sunt approbati, Ecclesias suas relinquant commendatas; si verò absentia vnius diei spatiũ excedat, talis omninò non permittitur, nisi causa à nostro Vicario Generali cognita, & probata.

Dec. 7. Absentes fructibus carebũt.

ERunt igitur Curati puniendi seuerè, si, vel in Sacramentorum administratione damnum aliquod populus per ipsorum absentiam patietur; vel certè tempore debito non poterit Missæ sacrificio interesse. Residentes ergò in sua Parochia, munus suum obeant diligenter; secùs enim residẽtiæ præcepto minimè dicentur satisfecisse. In quo casu, & fructibus beneficij priuabuntur, & alijs pœnis à nobis punientur.

Sil. v. resid. n. 2

Sot. de Iustit. l. 10. q. 3. art. 1.

Dec. 8. Quinã ad Sacramenta ministranda; & ad quæ sacrificia teneãtur.

ILlos insuper monemus, Iure Diuino teneri, sacrificium etiam pro ouibus sibi cõmissis Deo offerre; sicut in [a] Conc. Trid. expressè habemus. Quod tamẽ intelligatur, modò non sint ex ijs Curatis, in quorum Parochijs est Collegiata; Tunc enim penes ipsos erit Sacramentorum administratio, apud Capitulum verò, onus celebrandi,

[a] Sess. 23. c. 1. de ref.

Et

Et quoniam iis, qui nulla obligatione tenẽtur, per tabulas Ecclesiæ, de Iure non est determinatum, quoties sacrificare teneantur; æquum tamen est, à nobis modum præscribi, ne omninò hoc ex cõfusa ipsorũ pendeat voluntate: Præcipimus ergò sub pena peccati mortalis, illos celebrare teneri, quoties necessarium fuerit populo: Quod erit: omnibus diebus festis; Quoties danda est benedictio nuptialis; Quoties est cõsuetudo sepeliẽdi mortuum cum Missa. Atque vt nimius rigor tollatur, intelligimus hoc, quoties nec per se, nec per alios id præstent. Cęterùm, alijs diebus, volumus quidem illos obligari, iuxta aliud præscriptum supra factum, non tamẽ sub pœna peccati mortalis, sed sub alijs pœnis, arbitrio nostro iniungendis.

Nau. cap. 25. num. 124.

Sot. l. 9. q. 3. artic. 1.

Nau. cap. 25. num. 89.

Henr. l. q. c. 23. num. 2.

IN prædictis porrò casibus, in quibus Curatos ad celebrandum obligauimus, non intelligimus solùm illos teneri sacrificium offerre, vt illi intersint Parochiani; sed vt pro illis etiã offerant. Intelligendo semper, quando in suis Ecclesijs, non sit tabula aliqua, quæ illos ad plures Missas celebrandas, quàm sint prædictæ, obliget. Secus verò, si per tabulam aliquam modo prædicto constet; obligatio enim illa omninò obseruetur.

Dec. 9. Missarũ obligatio persoluatur.

Suar. 3. p. tit. 3. disp. 85. sec. 1.

POrrò circa horam, in qua debent Parochi sacrificium offerre, vt populo satisfaciant; vbi non est nisi vna tantùm Missa, non sint nimis seueri exactores; sed quantum possunt, indulgeant populi commoditati, & ipsius iustæ petitioni, quantum fieri potest se accomodent. Ita tamen, vt ex hoc non vilescat munus Sacerdotale; determinata enim ab ipso hora competenti, non debet populus absque legitima causa aliud importunè exigere.

Dec. 10. Hora celebrandi Populo accomodetur.

Hoc

Dec. 11. Quòd Populũ instruere tenẽtur, sub peccati pœna.

HOc insuper animaduertere non desistimus, Parochos ratione officij ex Diuino præcepto teneri gregẽ pascere salutaribus verbis; Nec solùm docere articulos Fidei, Decalogum, & Orationem Dominicam; sed etiam annontiare cum breuitate, & facilitate sermonis, quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oporteat, vt pœnam æternam euadere, & cælestem gloriam consequi valeant. Et insuper inter Missarum celebrationem, Volumus; vt aliquid exponant ex ijs, quæ in Missa sunt lecta, vt ita facilè Populus in lege Domini erudiatur. A quibus nolumus ipsos excusari, nisi cùm legitimè fuerint impediti, & per alium id præstare non possunt; secus verò, nouerint, in ijs Oppidis, in quibus per aliquem non exercetur munus prædicationis, grauiter ipsos Curatos peccare, si ipsi etiam sileant; cùm deficiant in re graui, quæ in magnum Populi vergit detrimentum.

p Sess. 5. c. 2. de & sess. 23. c. 1.

Dec. 12. Vbi plures sũt tenẽtur insolidum prædicare.

PRædictæ Constitutiones non à veris, proprijsque Parochis solùm erunt obseruãdæ, sed sub ijsdem pœnis præcipiuntur ijs, quibus vacantis alicuius Parochialis Ecclesiæ, pro tempore commissa est administratio; donec eo munere in ea fungentur. Quod si alicubi plures fuerint, quibus earundem animarum cura incumbit; eos insolidum ijsdem legibus volumus obligari; vt nullus se ipsum excusando, possit in alium crimen inijcere. Eos quippè omnes, & singulos, ita eadem obligatione volumus teneri; ac si vnus tantùm esset ibi Curatus constitutus.

Dec. 13. Iubileum, & alias Indulgẽtias diuulgẽt.

MEminerint semper Dominicis diebus, non solùm festos dies, vigilias, & ieiunia indicta, infra hebdomadam occurrentia, Populo denun-

nuntiare; sed, & quomodo dies ipsi colendi sint,& sanctificandi, docere. Et si quando pro Summorum Pontificum gratia indulgentiæ conceduntur Iubilei; prompti statim sint populum hortari, vt tantùm thesaurum lucrifacere non desistant. Docentes præsertim eum, quid pro tali indulgentia lucrifacienda, ex Summi Pontificis præcepto sit obseruandum; & quomodo orandum, pro hæresum præsertim extirpatione, infidelium conuersione, propagatione Fidei Christianæ, Summi Pōtificis salute, & Sanctę Matris Ecclesiæ exaltatione. Caueant tamen, ne prædictas,& quasuis alias indulgentias sine nostra, vel Generalis nostri Vicarij licentia populo euulgent.

NVllum admittant cuiusuis ordinis regularem intrà suæ Parochiæ limites, sacras cōfessiones audire; nisi eos, quos nouerint ad hoc munus obeundum expresè à nobis approbatos. Quibus etiam non committat munus benedicendi puerperas, sed illud omninò per se ipsos obeāt in propria Parochiali Ecclesia, non verò in priuatis domibus. Et ipsas puerperas admoneant, vt cum primùm domo post partum egrediuntur, Ecclesiam adeant; vt Deo pro suscepta prole gratias agant.

Dec. 14. Ad quænam Sacerdotem aduenam admittant. Et de puerperis benedicendis.

IN benedicendis escis Paschalibus, nihil indecorum admittant, nec indecenter eleęmosynā, præsertim à pauperibus, exigant; Nec omittant in die sacrorum Cinerum cum deuotione, & quietè ipsos benedicere, & super capita fidelium cineres aspergere; Doceant insuper Populū, quale mysterium contineatur in tali ministerio. Quod iddem seruent cum pari deuotione, ac quietè, in die Purificationis Beatæ MARIÆ Virginis, & in

Dec. 15. De benedictionibus pro tēpore. De q. palmis, & candelis.

in Dominica Palmarum, cum candelæ, & palmæ Populo benedictæ distribuuntur; In quibus illud priùs debet necessariò prouideri, vt omnia sine strepitu, & tumultu fiant.

Dec. 6. De Bullis nouis, & quibusdam antiquis Populo declarandis.

ET quia multoties per nouas Summorum Pontificum Bullas, multa solent ad Populum spectantia præcipi; Ideò iubemus, vt quando talis casus occurrerit, postquam fuerint ipsæ Bullæ in Matrici Ecclesia promulgatæ, statim ipsas Populo suæ Parochiæ denuntient, breuiter, & dilucidè exponentes, quid obseruandum in illis præcipiatur. Volumus item, ad abolendum detestabilem duellorum vsum, non solùm decretum Concilij Tridentini, sed etiam Constitutiones felicis recordat. Gregorij XIII. & Clementis VIII. Summorum Pontificum, semel in anno, vulgari sermone Populo declarari.

Dec. 17. De excommunicationis vi inculcanda.

PRæcipimus prætereà, vt omnes excommunicationum sententias, quæ quouis modo, siuè in hac noua nostra, siuè in alia typis excussa Synodo continentur, semel saltem in anno vulgari sermone Populo declarent; vt faciliùs se in officio suo contineat. Atque vt non insordescat populus in eis vinculis, sed qua maiori potest sollicitudine ab illis abhorreat; sæpè illius pœnæ explicent grauitatem, & quàm formidabilis sit sententia, fidelium communione, pijsq. totius Ecclesiæ suffragijs priuari, & in Sathanæ potestatem tradi; vt hoc cognito, faciliùs per pœnitentiam studeat Populus in Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium redire. At si (quod absit) aliquem in excommunicationis sordibus per annum deprehenderit volutari; eum, antequam determinatum tempus adueniat, acrioribus reprehensionum acu-

aculeis extimulet, admonens illum ex sacri Concilij præscripto, ad sanctum Inquisitionis tribunal debere deferri, vt contra illum, tanquam de hæresi suspectum, agatur. Sess. 25. cap. 3. & c. Rogo cũ seq. 11. q. 3.

Dec. 18. Archipresbyterorum cura in Clericos, vt in filios.

ARchipresbyteri Castrorum nostræ Diœcesis diligentiam adhibeant, vt Clerici in sua cura degentes, litteris, ecclesiasticis disciplinis, ac bonis moribus imbuantur. Quod si ludis, alijsq. rebus illicitis illos vacare deprehẽderint, seueriùs tanquam peculiares suos in Domino filios reprehendant: & instruant, quomodo bonorum operum teneantur Laicis exempla præbere.

De Capitulis. Cap. V.

TAle ergò debet esse Pastorum Ecclesiæ lumen; tali debent face alijs omnibus prælucere. Collegiatarum tamen Ecclesiarum ministros longè illustriori decet lumine alios illustrare. Quæ enim Ecclesia aliarum mater est, sicut alijs ministrorum numero præstat, qui dignitate alijs antecellunt; ita ijdem doctrina, & probitate debent alijs anteire. Etenim qui Diuino splendori propiùs admouentur, tanquam nitida specula debent diuinos radios cumulatiùs recipere, & affluentiùs in alios repercutere. Et qui diuino igni sunt proximiores; feruentiùs debent calore illo impleri; vt si abũdante malitia refrixit charitas aliorum, ipsorum inardescat feruor, vt eosdem refrigescentes possint diuini verbi calore complere. Secus enim, tanquam in mundanis tenebris existentia opaca corpora, ad lumen recipiendum inepta; de humano puluere ipsi quoque sordescunt. Propter quod illud maximè ab ipsis

est exigendum; vt summa, qua possint, diligentia laborent in conseruandis ijs, quæ ad diuini cultus attinent incrementum, nisi maledictionem negligentium, atque oscitanter operantium velint incurrere. Quam, vt declinent; his nostris decretis putauimus occurrendum.

Dec. 1. Canonici debent accedere inferiores.

CAnonicorum igitur partes erunt, reliquos inferioris ordinis ministros, ad pietatem, & religionem colendã inflammare; quod tunc consequentur, cum ipsi in hoc, fræno potiùs, quàm calcaribus ostendent se indigere. Curabit igitur qui inter ipsós præsidet, vt omnia Ecclesiæ munia diligenter exerceantur; sedulò aduertẽs, ne quid indecorum, vel præposterum in ea agatur. Aduertant item omnes, se ijsdem legibus personalis residentiæ teneri, vt per se ipsos, non per substitutos officia sacra obeant, nec posse ab Ecclesia abesse, nisi causa à nobis expresse cognita, & probata; alioquin, non solùm fructuum priuatione, sed alijs etiam pœnis à nobis iniungendis iuxta sacri Concilij statuta, punientur.

Sess. 24. c. 14.

Dec. 2. De Almutiæ concessione, & significatu adimplendo.

ARchipresbyterum, Dignitates, aliosq. Canonicos Matricis Ecclesiæ Sancti Germani, vt potè reliquis omnibus nostræ Diœcesis Clericis dignitate præstãtiores (exceptis dignitatibus nostræ Cathedralis Ecclesiæ Casinensis, quæ lõgè, latèq. cũctos alios in tota nostra Diœcesi præcellũt) vt externo etiã habitu ecclesiastico alijs anteirẽt, iudicauimus eos, Canonicalibus aliquibus signis debere cõdecorari; Quapropter potestate nobis facta per Sanctissimum Dominum nostrum, Dominum Vrbanum Papam Octauum, sub dat. Romæ 11. Kal. Octobris, anni 1625. ipsis Archipresbytero, Dignitatibus, & Canonicis dictæ Ecclesiæ

clesiæ ordinamus, vt Almutiam Canonicalem supra superpelliceum gestent. Mandantes, vt cum decore illam supra humerum sinistrum ferant. Sit autem ex Camelotto, vndis distincto, violacei coloris; interior verò pars pellem habeat albã, pelliculis nigris tessellatam. Quam gestare debent à primis Vesperis festiuitatis omnium Sanctorum, vsque ad initium Missæ, quæ cantatur in Sabbato, ante Dominicam festi Pentecostes. Ab hoc verò tempore, & deinceps, loco pellis consuant sericum rubri coloris; sæpiùs mysterium, quo non vacat, corde meditantes. In ipsis enim, qui totius Cleri, & consequenter Populi debent esse norma, extincti debent esse carnis affectus, cuius trophæum, in argumentũ victoriæ, pellem super humeros gestant. Quod optimè præstabũt, si sæpiùs in recordatione propriarum, & alienarum iniquitatum ingemiscant; quod per violaceum colorem, mœstitiæ symbolum, designatur. Sic etiam erunt erga alios, quibus præsident, charitate rubicundi.

Dec. 3. De Capitulo modestè congregando.

QVoties tàm iddem Capitulũ, quàm alij nostræ Diœcesis, vt de re aliqua deliberent, in vnum debent conuenire; initio Congregationis aliquantulum orent, & oratione peracta vnusquisque in loco suo sedeat, & liberè de re proposita respondeat; à rixis, & contumelijs, & altercationibus abstinens. Nec vtatur iaculatorijs, ludicris, & scurrilibus verbis, ne ex hoc odij causa disseminetur. Et in suffragijs ferendis, ea ordinis prærogatiua seruetur, quæ cuiusuis dignitati, & antiquitati respondet. Quod si aliquid, cõtra alicuius sententiam fuerit per maiorem partem deliberatum, ille cui hoc non probatur, ver-

bis alijs non aduersetur; sed illud æquum, ac rectum esse, sibi persuadeat.

Dec. 4. Clericus minor careat suffragio.

QVando verò in demortui alicuius Canonici locum alius suffectus fuerit, qui in sacris ordinibus non sit cōstitutus; suffragium nullo pacto habeat in Capitulo, iuxtà ordinem sacri Concilij Tridentini. Quod si quauis occasione, & quouis prætextu aliquis non nisi in minoribus constitutus, ad suffragia ferenda fuerit admissus; acta illius Congregationis nullam vim habeant, sed irrita sint omninò.

Sess. 22. cap. 4. de ref.

Dec. 5. De Capitulo non ob leuia, nec improuisè cōuocādo.

NOn congregetur Capitulum, nisi aliqua graui vrgente occasione, ne ministerium hoc vituperetur, & vilescat. Et dum conuenire debent, omnibus aliquo competenti signo fiat notum. Cumq. omnes conuenerint, nullus possit inde nisi absoluto conuentu, propter indignationem aliquam egredi; nisi fortè aliqua graui vrgente necessitate; Et tunc, non nisi habita licentia eius, qui Capitulo præsidet, egrediatur. Quod si de graui aliquo negotio erit pertractandum; Volumus, vt Capitulum ex improuiso non conuocetur; sed die præcedenti (nisi periculum sit in mora) omnibus qua de re sit agendum, significetur, vt vnusquisque apud se ipsum maturò possit consilio deliberare.

Dec. 6. De practicis, & suffragij libertate.

SI autem per Capitulum electio aliquorum Officialium fieri debeat ad tale officiū, quod plures habeant; præcipimus, vt nullus possit anteà clandestinè per secretos tractatus suffragia procurare. Volumus enim, vt singulis sit liberū, votum illud proferre, quod secundùm Deum iudicauerit expedire. Quod multò magis intelligatur, vt non possit quicquam, media Laicorum

pro-

procuratione tractari. Non tamen propterea prohibemus, quin possint ipsi Canonici prius de eo, quod erit deliberandum, modestè inter se conuenire; sic enim omnis ambitionis occasio tolletur, & pietas conseruabitur Christiana.

Dec. 7. De appellãdo à Capitulo ad Reuerendissimũ. Deq; procuratoris diligentia.

OBlatum exercitium, quod cũ aliquo sit onere coniunctum, nemini liceat recusare, nisi legitima de causa, vel per nos, vel per maiorem Capituli partẽ probata. Non tamen propterea volumus, vt licitè possint onera vni, & eidem sæpius imponi; sed æqualis fiat distributio. Quod si aliquis in hoc putauerit à Capitulo iniuriam pati, vel ipsi Capitulo rem modestè proponat, quod debita charitate prouidere teneatur, vel ad nos deferat; vt re cognita, quid magis expedire videatur, definiamus. Procuratores præterea admonemus, vt procurationem suã diligenter exerceant, non tanquam hominibus tantùm, sed tanquam Deo, qui omnia nouit, rationem redditurí.

Dec. 8. De modestia in Choro; deq; absẽtibus punctandis.

ARchipresbyterum, Archidiaconũ, aliosq. qui ipsis absentibus Chori gerũt præfecturam; sedulò admonemus, & in Domino hortamur; vt Missarum solemnia, & alia diuina officia congruis horis, cũ debita pausa, & decore persoluant; considerantes, ab ipsis tanquam à Moderatoribus diuini cultus, ordinem, & incrementum pendere. Si quẽ ergò viderint in Choro indecorè se habere; illum humaniter obiurgent; & inobedientes iubeant per punctatorẽ in libro punctorũ describi; vt tanquam absens fructus illius horæ non percipiat. Nec facilè discedendi à Choro licentiam, nisi propter vrgentẽ causam, impertiantur. Quod si quis de Capitulo ausus fuerit punctatoribus, vel præfectis, qui punctari iubent, minas vel contu-

melius irrogare; grauissimis pœnis à nobis taxandis punietur. Cęterũ laudabiles alias consuetudines, & præscripta, vsque modo à Capitulis seruari solita, mãdamus inuiolabiliter obseruari.

De Sacrosanctis Ecclesijs, & rerum Sacrarum custodia. Cap. VI.

ET quam Domum poterimus vnquam illi ædificare, qui tenet Cælum palmo, Terram pugillo cõtinet? Cui Cælum Sedes est, Terra autem scabellum pedũ ipsius? Altus enim est, & immensus. Si enim ascẽderimus in Cælum, ipse illic est; si descenderimus in Infernum, adest; vt nullo pacto occultari ab ipso potuerit, vel minimum ex ossibus nostris, quæ ipse in occulto materni vteri nostræ parentis efformauit. Voluit tamen pijssimæ Maiestatis ipsius sũma in nos bonitas, ad nostrum bonum, manufacta Templa, in quibus peculiariter ipse habitaret, & coleretur, sibi ædificari; vt in illis bonorum operum exercitium haberemus, & cælesti Diuini Verbi pane reficeremur. In illis ergò verè est domus Domini, vt de illa dici posset; *Quàm terribilis est locus iste, Verè non est hic aliud, nisi domus Dei, & Porta Cæli.* Atque, vt meliùs dicam, Cælum ipsum est, in quo non Arca solùm Testamenti afferuatur, sicut olim in Templo Iudęorum; sed Omnipotens ipse rerum omnium conditor, sub candido augustissimę Eucharistię velamine dignatus est ad nostram refectionem asseruari. Ibi ergò Christianus populus introibit, & adorabit ad Templum Sanctum Dei; Non enim Templum est locus confabulationis, sed orationis; Et orationis quidem non

Psal. 138.

Gen.

non Pharisaicæ, & superbæ, sed humilis, instar illius, quam humili, & contrito pectore effudit Publicanus. Ibi præ nimia Dei Maiestate, & demissa nostra humilitate, non est audendum oculos in Cælum leuare. Si enim omnes Angeli, vt inquit Ioãnes, & Seniores, qui stabãt in circuitu Throni Dei, ceciderunt in cõspectu Throni in facies suas, & adorauerunt viuentẽ in secula seculorũ; quali reuerentia, & humilitate decet vilem Homunculũ accedere ad illum, ante quem Orbis ipse Terrarũ, tanquam gutta est roris antelucani? Totis ergò artubus contremiscat homo, ille vilis ranuncula, è sua palude ad Thronum Regis Regum accedẽs, Stet à longe vt publicanus, oculos non audeat ad Cælũ leuare, sed percutiat pectus suum, & dicat; *Deus propitius esto mihi peccatori.* Percutiat (inquam) pectus; arguat nempè quod latet in pectore; & euidenti pulsu, occultũ quærat castigare peccatũ. Percutiat pectus, & excitet quod dormit in pectore; dormit enim in peccatis cor, vt ipsorum non videat turpitudinẽ. Tunsionibus tamen excitatur, vt oculos aperiat, & hostium, à quibus impetitur, toto conatu periculum effugiat. Israelitici populi multitudo foris erat orans, dũ à Sacerdote incensum offerebatur; & tamen nonnisi thimiama adolebatur ei, quod vmbra tantùm erat veri nostri altissimi mysterij; Nunc tamen Deus sua benignitate peculiariter nos in filios adoptauit. Si ergò dum seruorum erat status, in atrijs tantùm templi manere, cum tanta reuerentia iubebantur; quali nunc decebit veneratione, os ad preces aperire, contritione pectus tundere, fletu crimina confiteri, submissione manus, & cogitationes in cælum attollere, ijs, qui in statu sunt

Apoc. 7.

Sap. 2.

Bernard.

August. Ser. 4 de ver. Dom.

filiorum: quibus non in atrijs solùm, veluti seruis iubetur cõsistere, sed in ipsum Templum cum Sacerdotibus permittitur introire? Iubebatur tunc illis foras permanere, ne strepitus aliquis audiretur, dum incensum Deo offerebatur, vt indè doceremur, cum silentio in Ecclesia morandum, & orandum. Hæc enim est laus, hic hymnus, qui decet Deum in Sion; In templo enim decent lacrymæ, decet pœnitentia, decent preces, & reuerentia, & decet maximè, vt ait Hieronymus, silentium. Laus enim Dei est silentium in Tẽplo. Dum enim fideles silentes ibi cernũtur, magnaq; cum veneratione ad sacra attendentes; Deus maximè laudatur. Silentium ergò laus est; quia, & alijs laudis præbet materiam, & vnicuique internam accendit animi venerationem: Maiestatem Dei laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt potestates, Cæli, Cælorũ virtutes, ac beata Seraphim socia exultatione cõcelebrant. Si ergò Deus in Templo habitat, Templum ipsum aliud non erit quàm Cælum, vndè, & ibi cum Angelis omnes dicant gloriam. Dum igitur à Templorũ Custodibus ea fideli populo, vt ad orandum ingrediatur, aperiuntur, illa insonẽt vniuscuiusq. verba; *Aperite mihi portas iustitiæ, & ingressus in eas confitebor Domino, hæc porta Domini, Iusti intrabunt in eam*; vt Deo iubilent in voce exultationis; non verò Mundo, in voce nugacitatis. Nunquid enim domos non habemus ad nugandum, aut Ecclesia Dei despicitur ijs, qui volunt ibi modestè esse, & quieti corrumpuntur? Noscant ergò omnes, quòd Domum Dei decet sanctitudo, cum Sponsus in ea Christus sit adorandus, vbi exoratus adueniet, & clementi boni-

Chrysost. hom. 36. in primum Cor.

tate, precum vota suscipiet; largamque infundet omnibus benedictionem.

ECclesiarum ergò nitori quantum fieri potest consulatur; nec puluere, alijsq; immunditijs sordescant; & fores ipsarum nocturno tempore nulli pateāt, sed illucescente tantùm die aperiantur, & aduesperascēte claudantur; nec permittātur Laici in ipsis sub quouis prętextu pernoctare, vel aliquid profanum exercere; vel res ad mercaturam spectantes reponere. De quibus omnibus Sacrista erit exactam rationem redditurus.

Dec. 1. De Ecclesiarū nitore, & tutela.

CVret Sacrista Ecclesiæ pauimentum sæpiùs verrendum. Vt item Altaria nitidis, mundisq; ornamentis vestiantur. Aqua benedicta semel saltem in hebdomada post Vesperas Sabbati innouetur. Lampades SS. Sacramenti sæpiùs abstergantur, & continuò ardeant. Calices, patenæ, & Corporalia, cæteraq. ad sanctum Sacrificium pertinentia, sint munda. Vinum, aqua, & hostiæ præparentur respectiuè recentes. Item, vt manipulus, & stola, dum Missæ celebrantur, non sint diuersi coloris à Planeta.

Dec. 2. De requisitis ad Missā præparandis.

ITem curet, vt Salutationis Angelicæ signum manè, meridiè, & Vesperè percutiatur; signūq. orationis pro defunctis detur, debito interposito interuallo, sitq. ad minùs post elapsam dimidiam noctis horam. Quod si non ita pulsabit, toties quoties, vnius aurei incurret pœnam.

Dec. 3. De Salutatione Angelica pulsāda, & pro defunctis.

LAicorum nomina, Iudicium Seculare fugientium, & ad Ecclesiam confugientium, statim ad nos deferat; vt maturè prouideamus, ne scandalū aliquod possit indè peroriri; Cum quibus, si perseuerauerint in Ecclesia morari, nō possit vllo pacto intimum commercium habere. Conuiuia,

Dec. 4. De profugis ad Ecclesiam, Superiori denunciandis.

comes-

Sap. comessationes etiam, & compotationes cum illis effugiat, in omnibus denique exhibeat se fidelem Dei ministrum, ac diligentē Domus illius Æconomum.

Dec. 5. De tabellis miraculorum nō appēdēdis inconsulto superiore. Et de parietibus tēpli etiam exteriùs mundādis.

NOn permittat nobis inconsultis miraculorū tabellas in Ecclesia appendi. Aduertat itē, vt fores Ecclesiarum nulli pateant, vt profanas res asportent; Non enim locus sacer publica via debet fieri. Hæderas, aliasq; huiusmodi herbas, ac stirpes in exterioribus Templorum parietibus radicitus extirpet. Diligentem item adhibeant curam, ne aues nidos intra Ecclesiā faciant; cum ex illis maxima soleat orantibus perturbatio generari. Quæ omnia non solùm in principalibus Ecclesijs, sed etiā in Cappellis, & Oratorijs (quæ nonnisi nostra auctoritate debent esse constructa) volumus obseruari.

Dec. 6. De genuflexorijs pro celebraturis.

IN Sacristiam non solùm nullo tēpore, nulloq; prætextu fœminis debet ingressus patere; sed quantum potest iddem Laicis reliquis prohibeatur. In ipsaq; locus aliquis aptus sit semper præparatus, in quo adsit genuflexorium, & in pariete imago aliqua Crucifixi, cum tabella, quæ orationes illas, & preces contineat, quæ iuxta ritum Romanum Sacerdote, antè, & post Missæ celebrationem, sunt dicendæ; Ne, propter loci incommoditatem, à ab ipsis Sacerdotibus omittantur. In eo igitur loco Sacerdos celebraturus se colligat, & pia animi meditatione ad tantum mysterium peragendum se præparet.

Dec. 7. De Sacerdotū ablutione, & purificatorijs.

SIt item ibidem vas aliquod, quod tantum aquæ capiat, quæ sufficiens sit ad abluendas Sacerdotum manus, ante, & post Missæ celebrationem. Propè quod sit mantile lineum, mundum, pro ea-

rum

rum absterfione. Sint etiam tot Corporalia, & purificatoria, vt dũ ipsorũ dimidia pars abluitur, pars altera satis sit ad eas Missas, quæ in qualibet Ecclesia debent singulis diebus celebrari. Et dum Corporalia, pallæ, & purificatoria abluũtur; quod debet secundo quoque mense fieri; aqua quæ in ablutione remanet, in sacrarium effundatur.

QVod verò ad campanas attinet; Volumus, vt præter ordinarias, iam determinatas pulsationes; impendentibus nimbis, & tempestatibus, omnes simul continuatis ictibus pulsentur; Earum enim sonitu, & aër caliginosus excutitur, tempestatesq; arcentur, & nequissimæ potestates aereæ expelluntur; & fideles ad orationis præsidium, adeò illo tempore necessarium, excitantur. Quo tempore si qui deuotionis causa ad Ecclesiã confugerint, Litaniæ, & Preces à Clericis, qui tunc in Ecclesia inueniuntur, deuotè recitentur. Dec. 8. De pulsando cãpanas cõtrà nimbos, & tẽpestates.

PRocuratores Ecclesiarum, quãcunque in sua Procuratione authoritatem habeant, non audeant in posterum intorticia ad seruitium, & vsũ Ecclesiæ semel deputata, cuiquam (sub quouis prætextu) accommodare; vt deseruiant in associandis mortuorum cadaueribus ad Ecclesiam; sub pœna librarum decem ceræ laboratæ, toties, quoties contrauenerint. Quod vt obseruetur, prædipimus Sacristis, & Ecclesiarum Rectoribus, sub eadem pœna, vt statim eos, qui in hoc deliquerint, ad nos deferant. Dec. 9. Procuratorib. Cappellarum, non liceat intortitia ad alios vsus dissipare.

De

De fidelis nostri Populi reformatione. Cap. VII.

Psalm. 71. POstulauit Patrem suum Pastorum Princeps Christus, & dedit illi Deus gentes hæreditatem suam, vt à mari vsque ad mare dominaretur; & à flumine vsque ad terminos Orbis Terrarum; Rom. 1. Ipsum enim constituit hæredem vniuersorum, per quem, & secula ipsa creauit. Ipse autem prouidus Pastor, qui cognouit oues suas, in Ecclesia tanquam in loco pascuæ illas collocauit, & super aquam spiritualis refectionis eas educauit; & licet ad Patrem ipsum ascenderit, in sempiternum regnaturus, dilecti tamen sui gregis custodiam non deseruit. At quoniam ipse nunc factus est Pastor inuisibilis ouibus ijs, quæ in hac valle lacrymarum degunt, ne vnquam aliquid ouibus suis esset defuturum, alios voluit relinquere visibiles Pastores, qui ab ipso reformati, oues suas in ipsius Christi caulam cõgregarent, & per spiritualia pascua ad æternum ducerent ouile. Sed illas, (ait Christus ipse) an ad suum ouile pertinerent oues, indè esse cognoscendas, si vocem ipsius audirent; Non verò, sicut Iudæi, qui potuerunt sanè, & debuerunt ex splendore eximio, radijsq. suis, Solem illum, quamuis humanitatis nube velatum, verum esse Messiam, & Pastorem agnoscere; Sed non crediderunt, quia ex ouibus Christi ipsius nõ erant; vndè ab ipso rejecti, atrocem illam sententiam audierunt; Vos non creditis, quia ex ouibus meis non estis; Oues enim ipsius vocem eius audiunt, & ipsum sequuntur, ab ipso vitam æternam acceptura. Non talis ergò

sit fidelis Christi Populus, sed mitis, sicut oues, simplicibus, candidisq. prædictus moribus, vt quę ad ouile Ecclesiæ per fidem pertinent, Pastorem per bona opera dum sequuntur, ad ouile Cæli, ad vberrima, æternaq. illa pascua transferantur, secus enim, ipsis etiam à Christo dicetur, *Vos ex ouibus meis non estis:* vt propterea cum hœdis Sathanæ sint concremandi. Nec tamen vocem nostram aliam esse à voce Christi arbitrentur; Qui enim maioribus ab ipso Deo constitutis obedientiam præbet, ipsi Deo nouerit se præbere. Cùm enim Christus Dominus legem vellet in posteros sancire, qui aliorum futuri erant moderatores: *Qui vos audit,* inquit, *me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Et mirum profectò. Vocauerat Deus Samuelem, qui ab Heli Pontifice se vocatum putauit. Vox igitur eius, qui loco Dei præsidet, ipsius Dei vox erit iudicanda. Nouerint ergò oues Christi, se Deo in persona nostra obtemperare, sic enim obedientiam tanquam perfectum Deo offerunt holocaustum. Nec tamen ea quæ præcipiuntur, onera reputentur, importabilia, præcepta enim ipsius Christi sunt, cuius iugum suaue, cuius onus leue, quod si animo reputabunt, animabus suis pacem inuenient, ac tranquillitatem. Præceptis ergò Christi, qui per nos iubet, promptum exhibeat fidelis Populus auditum per obedientiam, & subiectionem. Tale enim latet mysterium, dum in Leuitico præcepit Dominus pectus, & armum offerri Sacerdoti; *Pectusculum,* inquit, *erit Aaron, & filiorum eius, armus quoque dexter de pacificorum hostijs cedet in primitias Sacerdotis.* Obedientiæ enim pectus, & armus, siue humerus ad imposita onera por-

1. Reg. 3.

Leu.

tanda paratissimus, est Pastori exhibendus, vt ita per mandatorum nostrorum obseruantiam, ad eum omnes perueniamus, qui in Paradiso voluptatis pascua nobis amœnissima, & suauissima præparauit.

Dec. 1. De Reuerẽtia sacris rebus exhibenda.

EA ergò, quæ pro fidelis Populi reformatione, in Casinensi sæpè allegata Synodo sunt iussa, decernimus, & omnibus Christi fidelibus nostræ iurisdictioni subditis, ordinamus inuiolabiliter obseruari, præsertim, quæ ad diuinum cultum spectant, & sacrorum locorum reuerentiam, & personarum: præcipuè dum sunt diuinis officijs præsentes, vt nulli coram Sacerdote tremendum sacrificium offerente, sedere liceat. Quod item in alijs diuinis officijs est seruandum, dum canuntur Cantica *Magnificat*, *Nunc dimittis*, & *Benedictus*, & dum item alia ex Euangelijs desumpta decantantur.

Dec. 2. De capitis inclinationibus opportunis.

NEgligentes quoque non sint, capitis denudatione, atque eiusdem inclinatione reuerentiam exhibere, dum nominari audiunt sacrosanctum IESV, sanctissimæ Eucharistiæ, & Beatæ MARIAE nomen. Et quoniam Sacerdos, dum sacris est indutus vestibus, vt sacrificium Deo offerat, Christum ipsum, qui in Ara Crucis in redemptionem nostrarum præuaricationum, Deo Patri se immaculatam hostiam obtulit, repræsentat; Ideò non grauari debent Laici, ipsi ad altare accedenti, & ab illo redeunti capite detecto assurgere. Quo reuerentiæ debito ligantur etiam alij ecclesiastici, dummodò ipsi non sint in eiusdem sacrificij ministerio actu constituti.

Dec. 3. De Lenonibus, & alijs criminosis cõercendis.

EOs præterea, qui temporali gubernationi præsunt, per eum, per quem Reges regnãt, & le-

& legum conditores iusta decernunt, hortamur, vt quantum fieri potest, Vrbem nostram, & Castra à vitiorum contagionibus expurgare non negligant, pœnas decernentes, iuxtà delictorum grauitatem, & sanctarum legum statuta; vt ita Populus ab enormibus saltem delictis committendis refrænetur. Meretrices non adeò impunè grassari patiantur, vt publicæ infamiæ operam exerceant. Lenones etiam grauibus pœnis afficiant; quos, vtriusque sexus, hac nostra Synodali sanctione, perpetua infamiæ nota signandos esse decernimus; Ipsi enim animas Christi sanguine redemptas, diabolo satagunt aucupari.

Dec. 4. De Circulatoribus, & Zigaris abigendis.

MOnemus etiam, grauiter à nobis puniendos esse Circulatores, & eos omnes, qui fallacijs, & loquacitate vulgus suspēsum, & otiosum detinent; si præsertim obscœnis verbis, & actibus non verebuntur insciam plebem allicere. Quibus ijsdem pœnis erit à nobis afficiendum vagum illud genus hominum, quos *Zigaros* vocant; qui præstigijs, & fallacijs pari modo damnum non leue fidelibus inferunt; Qui, si certis locis habitantes, vitam honestis actibus non ducent, Volumus eos omninò à nostræ Diœcesis finibus exterminari.

Dec. 5. De vsuris, & cambijs, abolendis.

LAicos, qui mercaturis, cambijs, & *Soccidis* (vt vocant) pecunias tenent expositas; vehementer in Domino admonemus, vt antequam contractus faciant, aliquos pios eruditos viros consulant, num sint legitimi, & iuxtà prescriptas Canonum regulas facti; Nec fallantur in posterum, ex eo quòd vident omnes ita contrahere: quæ cōmunis solet esse ipsorum excusatio; Multoties enim in latentem aliquam vsuram nolētes im-

impingunt; *Nihil autem prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur.*

Dec. 6. Obscœna vindemiæ, & messis tempore prohibentur.

VT antiqua illa, & damnabilis loquendi corruptela tollatur, quæ in Campis nostræ Diœcesis viget, qua freti rustici, alijq. messores, impunè sibi licere existimant, tempore messis, vel vindemiæ, impura quædam, & obscœna verba in transeuntes homines, & fœminas, & (quod minùs est ferendum) in ecclesiasticas etiam personas eructare; præcipimus Parochis; vt dum Populo diebus Dominicis diuinum verbum prædicant, id præsertim animaduertant, eò hoc turpiùs, & grauiùs esse peccatum; quò magis publicum est; & quò magis possunt ad impura peruerti animæ puriores.

Dec. 7. Maledicuntur lusoriæ domus

EXperientia nos docuit, eas domos, quæ ad prohibitos ludos exercendos sunt expositæ, omnis nequitiæ sentinas esse; Inde enim prodeũt furta, rapinæ, fraudes, blasphemiæ, aliaq. id generis flagitia: Propterea eos, qui tabernam, vel domum ad recipiendos Aleatores, & huiusmodi perditos, ac flagitiosos homines, pluris ludos quàm animam facientes, expositas tenent, ex parte Omnipotentis Dei, Gloriosæ Virginis, atque totius Curiæ triumphantis, maledictionis gladio, hac nostra Synodali Constitutione ferimus. Id quòd nulli mirum videri debet, maxima enim inest in hac seueritate pietas, quoniam vbi insana libertas generat vulnera, Sacerdotalis districtio dat medelam.

Conc. Tur. 2. in proœm.

De

De Examinatoribus, & Iudicibus Synodalibus. Cap. VIII.

EXaminatores Synodales, non solùm sæpiùs euoluant dicta Concilij Tridentini, quibus ostenditur, quàm graue sit illis onus impositum; sed sæpiùs cogitent, quàm horrendis maledictionibus impetantur in Inferis, ab illorum animabus, qui ibi torquentur, propter illorum incuriam, & inscitiam, qui iniustè, & indebitè, ac ipsorum conscientia reluctante, ad animarum curam sunt approbati. Si enim debitè munus obibunt suum, sibi ipsis laudem, ac meritum acquirent, alijsq. salutis iter pandent. Licèt autem sacrum Concilium statuat, sex ad minùs sacræ Theologiæ, vel Iuris Canonici Doctores, aut Licentiatos debere eligi, ac Synodo proponi; quia tamen ij qui à nobis sunt proponendi, stabile, ac certum non habent in nostra Diœcesi domicilium, ideò plures eligẽdos esse iudicauimus. Examinatores onus suũ pensent.

Electi verò sunt infrascripti.

EXAMINATORES.

Admodum R. P. D. Gabriel à Puppio S. T. P. Sacri Monasterij Prior, & quicunque successor.
R. P. D. Germanus à Trano S.T.P. nunc Vicarius Generalis.
R. P. Cellerarius pro tempore existens.
R.P.D. Seuerinus à Castro Forti Dec. S.T.P.
R.P.D. Alfonsus à Neapoli Dec.
R.P.D. Honorius à Caua Dec. Philos. Doct. S.T.P. Synod. Sec.
R.P.D. Vincentius à Trano Dec.
R.P.D. Laurentius à Rocca Rasinate Dec. S.T.P.
R.P.D. Iouita Romanus Dec. S.T.P.
R.P.D. Eusebius à Capua S.T.P.

Q R.P.D. Epi-

R.P.D. Epiphanius à Neapoli.
R.P.D. Bernardus à Caieta S.T.P.
R.P.D. Antonius à Capua, S.T.P.
R.P.D. Placidus à S. Germano, S.T.P.
R.P.D. Antoninus à Neapoli, S.T.P.
R.D. Fœlix Ianuarius, S.T. Mag. & nostræ Curiæ Theologus.
R.D. Paraninphus Aegyptius S.C.D. Archipresb.
R.D. Iosephus Marsella, V.I.D. Archidiac.
Mag. Iulius Cesar de Ponte, V.I.D. Gubernator S. Germani, & quilibet successor.
Mag. D. Ioannes Dominicus Pelusius V.I.D. Consultor R.D. Vicarij, & quilibet successor.
Mag. D. Hieronymus Tugilius V.I.D.
Mag. D. Fabius Galassus V.I.D.

Pro Terra Pesculi Constantij.

R D. Io. Andreas Palmerius V. I. D. Prothonotarius Apostolicus, Rector eiusdem Terræ.

Pro Terra Citrarij.

R.P. Vicarius pro tempore existens.
Mag. Gubernator pro tempore existens.
R.D. Franciscus Bertinus S.T.D. Rector S. Benedicti.
R D. Io. Gregorius Maiullus V.I.D.
Mag. Io. Paulus Iordanellus V.I.D.

Iudicum causarum electio.

ITem, quia eiusdem Sacri Conc. Trid. statuto, iuxta Bonifacij VIII. Constitutionem, quæ incipit; *Statutum*: præcipitur, vt in Diœcesanis Synodis aliquot personæ qualitates habentes, iuxta eiusdem Bonifacij Constitutionem, designentur, vt ipsis etiam Causæ Ecclesiasticæ, & spirituales,& ad Forum Ecclesiasticum pertinentes, à Romana Curia commitantur; Ideò confisi de doctrina, prudentia,morum probitate,& grauitate Reuerendiss. Dominorũ, quos infrà nominabimus, illos ad id munus obeundũ eligimus, & Synodo ipsi proponimus. Sũt autem infrascripti.

R.D. Fœlix Ianuarius S.T. Mag. Cur. Casin.Theol.
R.D. Paranimphus Aegyptius Sac.Can.Doc. Archipresb. S.Germ.
R D. Io.Andr Palmer. V.I.D. Prothon.Apost. Rect.Pesculi Const.
R D. Frãciscus Bertinus S.T.D.Rect.S.Benedicti Terræ Citrarij.

His

His verò omnibus ex prælato vmbone lectis, ita omniũ hilaris conspirauit assensus, dato cum vociferatione responso, sùb verbo PLACET; quòd fęlicibus meritò auspicijs, infrascriptæ visæ sunt acclamationes à prædicto Secretarij socio, Synodi promulgatore declamandæ.

ACCLAMATIONES.

Soc. *Deo Bonorum omnium largitori, & Patri misericordiarum, infinitæ gratiæ.*

Resp. A Te Domine bona cuncta procedunt, Tu rectam iustitiæ viam, Tu veræ disciplinæ tramitem docere nos dignatus es; Te decet laus, Te decet hymnus, Tibi gloria in æternum.

S. *Sanctissimo D. N. D. Vrbano, Vniuersalis Ecclesiæ Pastori; Pontificiæ Maiestatis, cum omnium gentiũ subiectione exaltatio, Christiani nominis propagatio.*

℟. Beatissimũ Papam, Domine Deus, tua gratia custodi, viuifica illum, beatum fac illum in Terra, vt ipso Duce, Christianus populus ad Cælestia transferatur.

S. *Reuerendissimo Præsuli nostro salutaris Vigilantia, perfecta commissi Gregis custodia.*

℟. Pastorem nostrum, Pastor ęterne non deseras, continua protectione custodias.

S. *Eidem Reuerẽdissimo Antistiti multi anni, multæ gratiæ.*

℟. Dominus retribuat pro nobis.

S. *Inuictissimo Regi nostro Philippo, Christianæ Religionis defensori, perpetua felicitas.*

℟. Catholicum Regem Catholicæ Fidei Propugnatorem protege Domine in brachio Virtutis tuæ, vt prosperè procedat, & regnet.

S. *Deuoto huic nostro Clero Christianarum omnium Virtutum amplexus, conscientiæ tranquillitas, pax æterna.*

℟. Casinensē Clerū, Domine toto corde tibi prostratum, à dęmonū tuere clemēter insidijs.

℣. *Diœcesano nostro populo, fœlix in via Domini progressus.*

℟. Ne despicias, Omnipotens Deus, populum istum ad te clamantem, perpetuò ille succurre placatus.

℣. *Memēto nostri Domine in beneplacito tuo.*

℟. Visita nos in salutari tuo, vt Sāċta Decreta opere exequentes, digni efficiamur promissionibus tuis: intercedente B. Maria semper Virgine, Beato Patre nostro Benedicto, & omnibus Sanctis. Amen.

Amen.

Tandem Præsulis benedictione indulta, SYNODVS soluta est.

Concessumq; omnibus, postquàm se subscripserint (& non priùs, sub taxata pœna) infrà Reuerendissimi Præsulis subscriptionem IN PACE ad propria remeare.

Ego Simplicius Casineñ. Abb. & Ordinarius

D. Paraninphus Egyptius S. C. D. & Archip. S. Germani.
D. Ioseph. Marsella V. I. D. & Archid. S. Germani.
D. Alexander Tugilius Primic. Colleg. Eccl. S. Germ.
D. Io. Angelus Gallotius Primicerius Colleg. Eccl. S. Germ.
D. Germanus Perillus Canonicus Colleg. Eccl. S. Germani.
D. Franciscus Gammirinus Canonicus.
D. Ioannes Villa Canon.
D. Michael Angelus à Patritijs Canon.
D. Raymus Maronna Canon.

D. Ioannes

D. Ioannes Pantaleon Canon.
D. Philippus Pollastrella Can.
D. Benedictus Teruculi Can.
D. Franciscus Pollastrella Can.
D. Ioannes Marzelli Can.
D. Prosper Martuccius Can.
D. Cesar Martuccius Can.
D. Aloysius Casatinus Can.
D. Ioannes Angelus Martuccius Can.
D. Iulius Velansone Semicanonicus.
D. Paulus Aemilius Fuscus. Archip. Castri S. Eliae.
D. Pompeus caso Parochus S. Mariae Nouae Castri S. Eliae.
D. Hieronymus Sassus Parochus S. Petri Castri S. Eliae.
D. Francis. Anton. Reuole Archip. S. Mar. Maior. Castri Cerbarij.
D. Ioannes Leonardus verlotius Archip. Castri S. Victoris.
D. Berardinus Perillus Parochus S. Crucis Castri S. Victoris.
D. Franciscus Cerasolus Parochus Eccl. S. Nicolai.
D. Ioannes Andreas Papa Archip. S. Ioannis Castri S. Angeli.
D. Benedictus Natta, procurator Archipresbyteri Pignatarij.
D. Nicolaus Margiotta Archip. Castri Teruculi.
D. Dominicus Gattus procur. Primicerij, & Oeconomi Matricis Ecclesiae S. Angeli, Castri S. Petri in Fine.
D. Benedictus de Campagnone procur. R. D. Ioannis de Raymūdo Abbatis Curati paroch. Eccl. S. Nicolai Castri S. Petri in Fine.
D. Bernardus Fella Archip. Castri Vallis Rotundae.
D. Carolus Genuensis Abbas Curatus Castri Belmontis.
D. Ioannes Thomas de Laurentijs Archip. Castri Vallis Frigidae.
D. Hieronymus de Thomasiis Archip. Castri S. Apollinaris.
D. Nicolaus Ant. Teruczius Archip. Castri S. Georgij.
D. Iulius Carellus Archip. Castri S. Andreae.
D. Marsilius Lupus Archip. Castri Cucurutij.
D. Ioannes Petrus Pramundus Archip. Roccae Euandri.
D. Petrus Riccardus Archip. Castri S. Ambrosij.
D. Saluator Fantacone procur. Archip. Castri Noui.
D. Franciscus de Ninis Archip. Terrae Farae.
D. Andreas Mallardus Archip. Pesculanum propè Iserniam.
D. Bartholomeus Corradus Archip. S. Petri de Auellana.
D. Lucas Tricaricus Archip. Terrae Citrarij, & Rector Ven. Eccl. Parochialis S. Nicolai.
D. Ioannes Andreas palmerius Rector Peschi Constantij.
D. Nicolaus Paschalis procur. D. Antonutij de Antonutijs Archipresbyteri Terrae Barreae.

D. Ioannes Antonius de parente proc. D. Laureti de Crescentijs Curati Villettæ.

D. Achilles de Antonutijs procur. D. Martini de Rubeis Curati Terræ Ciuitellæ.

D. Ioannes Baptista de Simone procurator D. Horatij de Statis Parochi S. Petri Terræ Citrarij, & totius Cleri.

D. Franciscus Bertinus Archip. Terræ Citrarij, & Rector Matricis Ecclesiæ S. Benedicti, qui vltimo loco (inquit) me subscripsi, vt non præiudicarem iuribus meis de præcedentia.

D. Andreas Ciucilus Curatus S. Petri in Curulis.

Quibus omnibus denique feliciter gestis, fuit mihi suo Ordin. Cancellario à Perill eodem, & Reuerendiss. Casinensi Antistite mandatum, vt iuxta eorum omnium seriē, & tenorem de prædictis acta conscriberem, in nostro Archiuo ad futuram memoriam perpetuò conseruanda. His autem, licèt aliena manu, fideliter scriptis, me subscripsi. Dat. in Ciuitate nostra S. Germani. Die 24. mensis Martij 1626.

D. Honorius à Caua Dec. & Synod. Secr.

Locus † Sigilli.

Publicata in Ciu. nostra S. Germani, in Valuis Matricis Ecclesiæ. Die mensis 1626.

ACTA
SYNODI.



OTIVS ferè Diœcesis Casinensis Visitatione peracta, Iubilei anni residuo collabente Sanctiss. D.N. VRBANI PAPÆ VIII. Perillustris, ac Reuerendissimus in Christo P. & D. D. Simplicius Caffarellus Sacri Casini Abbas, Ciuitatis S. Germani, & Castrorum, aliarumq. latè Terrarum, & locorum Dominus, & Ordinarius: è Terræ Citrarij visitatione reuersus, quæ est in partibus Calabriæ; Neapolim cum decenti Familiæ comitatu, lectica vectus appulit. Vbi profectò non potuit, nisi tandiù detineri, quandudùm cum Excellētissimo Albæ Duce Prorege, eiusdem Monasterij negotia composuisset: Nempè cupidus cum suis degere Monachis, & propè felicissima S. P. N. Benedicti pignora diuersari. Erant autem ea adeò grauia, & alieno ære Monasterium tanto pondere opprimentia, quòd ipsum Reuerendissimum eius insistentem releuationi, aduocatam diù antè Synodum, cògerint prorogare. Sed ea, ad dicti S.P.N. imminens festum, indicta denuò, atque per latè loca subdita ædictis in forma dimanatis; supradicto immortalis memoriæ digno Principi, cum gratiarum actione valefacto; Casinum, tota re benè gesta, se recepit. Porrò ille, ad suas preces (feruentemq. sanè instantiam) quadraginta milia aureos, à Regia Curia Monasterio debitos multa paulò ante iusserat pietate restitui: ita quòd Regni bella (ceù non insueto S. Benedicti miraculo) cœperint prosperari.

Igitur circà festum S. Gregorij, qui suæ familiæ facilè sit Protector, Ciuitatem S. Germani adijt, & ad consuetæ aulam residentiæ peruenit.

Sequentibus verò diebus, multis supplicibus libellis, quæ subditi porrigebant, suo mediante rescripto expeditis: mihi posthac suo infrascripto Cancellario mandauit, quatenus Consultores nouæ Rotæ, ab ipso, elapso anno, in actu Visitationis erectæ, Titulo DE BONO REGIMINE, conuocarem (nam eius Rotæ me ipsum præfecerat Consultorem vnum, & Secretarium) eisq. quid, & quando Tractaturi accedere deberent, de more indicarem.

Data ergò singulis pagella, vt in crastinum, de disponenda Synodo responsuri conuenirent, septem eo die, Doctores conscripti conuenere. Ad quos Reuerendissimus sententiarum onusta pondere, verba pauca fecit, suadens pro quo eos accersiuerat, facto iuribusq. dignoscendis, intentis viribus incumbere. Qui assurgentes ostenderunt ei simul ore, gestuq. reuerentiam, & summam promptitudinem. Conclusumq. vt pro Synodo feliciter ineunda, Consultores plures, variarum scientiarum aduocarentur, quorum non videbantur forè oracula superuacua.

Quamobrem fuerunt perendiè plusquam viginti Doctores, di-

 uer-

uersas professi facultates, & cum ipsis plurimi doctiores Monachi coacti, & implorati. Eorúq. valdè consentiens votum fuit: Oportere in primis multos eligere Officiales, qui suas partes in futuris actionibus obirent. Impossibile enim esset, Nauem discedere, non electis priùs Nautis, Remigibusq.

Electi proindè sunt, ad infrascripta munera, infrascripti.

Synodi Promotor.

R. D. Ioannes Pantaleon, Canonicus S. Germani.

Notarius.

Angelus Mansillus, iam Casinensis Curiæ Actuarius ordinarius.

Testes Synodales.

R.D. Ioannes Martellus, Canonicus.
R.D. Michael Angelus Patritius, Can.
Omnesq; Vicarij Foranei, pro suis Castris, & locis.

Secretarius Synodi.

D. Honorius à Caua Decanus.
D. Antonius à Capua, Socius.

Consultores à Latere.

Theologi.

R.P.D. Gabriel à Puppio Sac. Mon. Cas. Prior.
R.P.D. Germanus à Trano Vicarius Generalis.
R.P.D. Laurentius à Rocca Rasinate Decanus.
R.P.D. Gregorius Romanus Dec. & Cell.
Omnis Cell. pro tempore existens.
R.P.D. Seuerinus à Castro forti Dec.
* *R.D. Fœlix Iannarius, Cur. Cas. Ord. Theol.*

V. I. Doctores.

R.P.D. Alphonsus à Neapoli Dec.
* *R.D. Paraninphus Aegyptius Archip. S. Germani.*
R.D. Iosephus Marsella, Can. Archid.
Mag. D. Iulius Cæsar de ponte Gubernator S. Germ.
Mag. D. Io. Dominicus Pelusius Consultor R. Vicarij.
Mag. D. Hieronymus Tugilius
Mag. D. Fabius Galassus.

Examinatores.

Omnes supradicti Consultores.

Sed addantur pro S. Germano.

R.P.D. Vincentius à Trano Dec.
R.P.D. Iouita Romanus Dec.
R.P.D. Eusebius à Capua, nunc Dec.
R.P.D. Epifanius à Neap. Ceram. Syn.
P.D. Bernardus à Caieta.
P.D. Placidus à S. Germano.
P.D. Antoninus à Neapoli.

Pro Terra Pesculi Constantij.

* *R.D. Andreas Palmerius V. I. D. Prothonot. Apost. Rector. Pesch. Cōst.*

Pro Terra Citrarij.

R.P. Vicarius, ibi pro tempore existens.
* *R.D. Franciscus Bertinus Rector, S. T. D.*
R.D. Gregorius Maiullus V. I. D.
Mag. D. Io. Paulus Iordanellus V. I. D.
Mag. Gubernator, ibi pro tempore existens.

Iudices Synodales.

*Omnes qui suprasunt hoc * asterismo connotati.*

Sequenti verò die quæ fuit decimasexta mensis Martij, Conuocato Capitulo, & Clero Collegiatæ Ecclesiæ S. Germani; cum suis Canonicis, & dignitatibus sedentibus in Corona circiter: Promotore instante iniunctu fuit Testibus Synodalibus, præcipuè Vicarijs Foraneis, quibus præceptum à R. Vicario fuerat olim, in populis, Castrisq. vbi vicesgerunt, se ad finem referendi informari, &

vt si quid prouisione in Diœcesi, tàm pro diuino cultu, quàm pro moribus reformandis, dignum præsciuissent, id totũ pro sua quilibet conscientia reuelaret, antequàm iret ista Synodus in consessum, v3.

Si præcedentium Synodorum decreta seruentur.

Si quenquam scirent contra Sacros venire Canones, & aliquod attentari contra Summorum iussa Pontificum.

Si Parochi resident, Rectoresq; suo quilibet incumbit oneri, tum in Sacramentis administrandis, edocendaq; præcipuè doctrina Christiana.

Si populus rectà incedit coram domino, vel sit qui ad nequitiam prono lapsu ruẽs, scandalizet Ecclesiã, excõmunicatus, sacrilegus, adulter, Raptor, alijsq; reatibus publicis consceleratus.

Et quàm bene ijdem, ab Ecclesiasticis, ædificentur, quatenus eorum exemplo studeant ad opera Iustitiæ festinare.

Si Ecclesiæ, Hospitalia, & loca pia defendi postulant, aut reparari.

Si quid alicubi indecorè irrepserit, vt statim nouellæ præsumptionis impetus retundi posit.

Dicti verò Testes multa palàm edixerunt, multa verò ad aures polliciti sunt dicturi; nam cùm eorum fuissent conscientię aggrauatæ, à præfato Reuerendissimo; eius se subscribere sollicitudini statuerunt, & quicquid scirent dicere oportunè.

Interim verò iniunctas antea preces, vniuersus Clerus effundere non cessabat. Auditis ergò pluribus incidentijs, vt prudenter defectibus occurreretur, pro quãto zelotipa Charitas scit præcauere, scitq; decernere iusta seueritas, vt tandem à malitia figatur gradus, & de profectu Dominici gregis glorietur cura pastoris; multa fuere decreta cõgruè compilata. Ac rursus Capitulo, & Clero prædicto conuocato, coram eis, ceterisq. officialibus, eorum iussa sũt legi prima protocolla: vt scilicet consuleretur turbationibus oborituris; si nimirũ ea decreta, postquàm fuissent propalata, sugillata publicitus, contingeret reuocari. Licèt enim sciret probè Reuerendissimus, quia non tenetur eorum necessariò sequi vota; statuit tamen suauiter, quæcũque fuissent fortiter ordinata disponere. Tribus itaque diebus continuis, ad eorum aures, in aula secretiori, fuere lecta: & ad aliquorum prudentium Virorũ supplicationem, & instantiam, eorum quorundã periodis cõpresis, tactisq. leuiter; de toto cętero tenore Synodi, omnium conspirauit assensus. Quæ statim peculiari transumpta regesto est.

Quibus ritè peractis, ante festũ S. P. N. Benedicti, vt in sua Cathedrali Ecclesia Matutinis laudibus, cum suis filijs venerabilibus Monachis interesset, numeroso, decentique comitatu, ac famulatu præeunte, & subsequente, conscẽsa mula, relictaq. Ciuitate, Montis ardua superauit. Susceptusq. fuit à Monachis ad osculũ de Casinensis Cõgregationis more, præ foribus. Qui si visi sunt

meri-

meritò gratulati, ob peruulgatam Præsulis famam meritorum, ob Visitationem Diœcesis tanto initam cum decore, ob nummos antedictos, tanta cum gratia recuperatos: atque dehinc ad paratũ ædis consuetæ cubiculum tetẽdit.

Hora verò competenti, Pontificio ritu S.P.N. Benedicti primas Vesperas celebrauit: Post Completorium verò, pulticula, cõtentus accubit, & noctu, vt proposuerat Matutinis interfuit.

Manè verò, exorto Sole, cum prædicti Sanctissimi Patris, in sua vestigia iterum reuolueretur trãsacta sollemnitas, quæ tunc fortè incidit in Sabathum, totam erat videre domum repletam subditis Presbyteris, qui debebãt Synodo interesse, aduenis quoq; locorũq. conuenis, qui de circumpositis Castris, pagosque, causa deuotionis aduenerant; Alios videre erat per claustra, & per Pomarium, & per pinnacula cõgredi; Hos multitudinem aduenientem, & redeũtẽ in subiecta decliui via prospectare de pergula: Hos denique, si quis transiret, in assignatis cubiculis degere hospites, atque Contubernales: Hos verò orare in Ecclesia, & curiosius sacras Imagines intueri, & vniuerso apparatu perfrui, & expleri.

Pulsatis verò campanis, pro Tertia decantanda, post signum tertium Reuerendissimus, Cappamagna de more indutus; Clerico defluentes longè, latèque fimbrias deferente, brachio conuolutas; cũ totius Regularis familiæ obsequela, & secularis Cleri comitatu, nobilibusq. stipatus Viris; dum interim indefessè campanæ pulsarentur, & organa, ad dictam Cathedralem Ecclesiam, antiqua quondam gloria celebrẽ, & præsenti haud ignotam fama; prosperè peruenit. Antè cuius valluas, porrecto ei per R.P. Priorem de vase argenteo aspersorium, cũctos porrò circiter genuflexos, lustrali conspersit aqua. Mox ad paratum faldistorium orauit modicum, deindè sub serico baldachino candido receptus est: duobus Monachis, de dignioribus ei hinc inde assistentibus.

Incœpto autem Versu. *Deus in adiutorium*; Et de Odęo Choro respondente, sacræ illi vestes interea parabantur: Quas pulchro, longoq. ordine iuniores Monachi porrecturi, induti coctis, super crispantibus cucullis, vnus post alium substinebant. Eisque cum fuisset indutus, Missam, vt in Cęremoniali Romano prosecutus est. Inter cuius solemnia à R. Cõcionatore S. Germani currentis tunc Quadragesimæ, Viro docto, facundoq. pariter, è Clericis Regularibus, concio demonstratiui generis fuit habita, S. Benedicti laudes continẽs, & encomia. Præterea (rem totam conscribente Notario) Casinẽsis Dięcesis, Clerus omnis, siuè præsentes, siuè absentes per Procuratores, solitæ præstiterunt fidelitatis obedientiam; Kalendis quidem Octobris in Dedicatione Ecclesiæ persolui debitam, sed ne compellerentur, & tunc, & nunc iteratò ad Synodum, tam breui spatio temporis à remotis profectò partibus Aprutij, Calabriæq. conuenire; ad

hoc

hoc vsque tempus ex gratia eorum hoc debitum dilatum est.

Sacra re peracta, prænarrata processio, eundem Reuerendissimum ad propriam reduxit aulam, elata manu obuios quosque benedicentem, per viam, vndique cōspersam floribus, frondibusque. Eisque præ suæ ædis ianua, actionis gratiæ signa dedit. Cappam post hæc posuit, & super scapulare mozzettam induit; sumpsitq. frugali de mēsa prandium (sciens quia est Angelis cognata frugalitas) & modicè conquieuit.

Rursus autem secūdis pulsatis Vesperis, ijsq. persolutis, eodem quo prius habitu, comitatu, ordine, & ceremonijs Ecclesiam denuò ingressus, de faldistorio subijt baldachinum: acceptoq. amictu, alba, cingulo, stola, & pluuiali, cū Diacono, & Subdiacono assistentibus, alijsq. dignitatibus parari solitis, Litaniæ iussę sūt alta voce, pro primę Synodalis Sessionis initio decantari. Proprio tamen ore, clamauit in medium genuflexus Pontifex, vt dignaretur Dominus Synodum benedicere, in pace disponere, & sublimiter promouere. Suoque tempore à parato Diacono Euangelium est decantatum, cum cęteris, quæ Romanum præscribit Pontificale. Et oratio habita per vnū ex Iunioribus Monachis apprimè eruditum, quæ in Sessionis primæ exordio, edita legi potest.

Deinde Synodi Secretarius (cui hæc conscribere mandatum est) conscenso altero gradu Solij, decretorū suscepit paginas de manu Præsulis; eāq. dedit socio ātedicto P. D. Antonio à Capua Monacho Sacerdoti S. Th. P. qui præaltum vmbonem subiens, sonora quippè voce præditus, appositè cæpit legere; cui pro minimo erat sapiēter nosse periodos interpungere, graphicèq. pronuntiare. Decretis tamē priùs lectis, quæ Sacrū Trid. Conc. legi præcipit: De residentia, deq. alijs consuetis.

Emiseruntq. corā, Fidei professionē in forma, Examinatores supradicti, Iudicesq; Rectores, cœteriq. cuncti officiales.

Perlectis verò decretis Synodalibus primę Sessionis; magno cū plausu, letitiæq. signo, iniussi responderunt, sub verbo Placet. Ac benedictione Reuerendiss. impertita, depositisque Sacris vestibus, ordine sæpèdicto reuersus est. Indicta scilicet prius secūda Sessione in Ecclesia S. Germani, vbi nimirum liceret in Ciuitate, tantæ multitudini cōmodius curare corpora.

Quapropter illuc Reuerendiss. per decliue descendens montis, multis comitantibus, ad cōsuetas Ædes, die iā inclinata, se cōtulit.

Mane autem sequentis Dominicæ, Diuino Officio recitato, & priuatim re sacra facta, vsqùequo Vespertini officij instaret hora, in memorialibus paginis expediendis, pauperum vndique confluentiū tēpus insūptū est. Tū verò pręcedēte Seminario, & toto, Clero Canonicis, ac dignitatibus, Primicerio, Archidiacono, Archipresbytero, cum suis coctis, almutijs, que in sinistrū gestatis humerū, processionaliter eundem Reuerēdiss. ad S. Germani Ecclesiam perdu-

xerunt. Præ cuius postibus cunctos circumpositos, ad venialia expianda, consperfit aqua: deindè orauit aliquantisper in faldistorio præparato; Cœterasq. obiuit cęremonias, quæ iddem Pontificale Romanum in secunda Sessione præscribit. Vbi nec oratio quidem defuit, hic folio nonagesimo exarata: Sicut neq. in tertia Sessione die sequenti inita, quæ folio 181. edita est hic ibidem. Vbi vniuersi nō fine admiratione, quidem ingenti, & cordis imméso gaudio obstupescebant, nec audebant hiscere, vt auidè intenderét, & haurirent omnia, quæ cernebant, prorsus pro dignitate præstari. Ibi enim non deerat sufficiens ordo sedilium, pulsabāt organa, & modulatę voces motecta congrua concinebant: apparatorum, ministrorūq; abundās numerus, quorum erant vrbanissima vestimenta, liberalis indoles, & sui quilibet gnarus muneris: Argento altare fulgidum: sacręque vestes erant decoræ nimis: Et vltra mitram simplicem, non deerat pretiosa cydaris corusca gēmis: Nihil deniq. aberat desiderabile: Immò tot, tantaq. aderant, quantum nemo ausus fuisset optare. Quod si licet ex suis, alienas conijcere passiones, æstimo neminem potuisse Deo optimo gratias non referre, spiritualiq. letitia non offundi; Nullum non statuisse de cœtero, capto robore, animique aucta magnitudine ad pristina nō repubescere: Dum scilicet cōfessus ille, cælestes videbatur æmulari Choros, vmbratilemq. exprimere Empireā Hierarchiam; nullumq; proindè non deuouisse animum ad altiora.

Sed, & facta mentione inter legendum de Almutiarum obtentu, nouaq. concessione, omnes Canonici assurrexerunt: gratias innumeras Reueredifs. referétes, quòd suam Ecclesiam, atque eorū personas tantum illustrasset, quantum non potuerint quidem retroacta secula cogitare.

Ergò tota Sessione perlecta, atq. maiori, quā præcedētes, applausu hausta, & comprobata, ita vt non fuerit opus à publicè conclamātibus sibi benè cūcta cōplacuisse, occulta exigere cadisco suffragia: acclamationibus denique auspicatissimis Synodus soluta est. Obtentaq. Præsulis benedictione sollemni, rogatus statim fuit Notarius, qui ab exordio, ne per momentum abfuit, vt de prædictis publica ederet monimenta. Atque præconis voce mandatum, vt nemini liceret ad propria reuerti, nisi quilibet se sua manu subscripsisset. Seseq. singuli subscripsere; apposuitq. idem Notarius signum lealitatis.

Mox mihi Reuerēdissimus iniūxit, atq. præcepit, vt hæc omnia rudiori stilo scriberem, ad sui cōpleti muneris probationem; atq. ea ad benè gestæ rei memoriam, claro planiloquio, transmitterem posteritati. Quæ vt potui meo gracili perstrinxi calamo, ac me subscripsi. In S. Calisto dum prædictæ Synodo excudendæ Typis intenderē. Non. Iun. MDCXXVI.

D. Honorius à Caua Syn. Sec.

Ta-

Tabula Synodica

Diœcesanis abunda.

Primus numerus paginam, appositus decretum indicat.

A

B

C

D

E

F I N I S.

D. O. M.

Laus, & perennis Gloria.





